

~~Chemie 243~~

297.

Chemie 243⁵


HELVICI DIETERICI D.

Archiatři Electoralis Bran-
deburgici

VINDICIÆ

adversus

Otthonem Tackenum.



Hamburgi

Typis Piperianis MDCLV.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO
VVILHELMO

MARCHIONI BRANDE-
BVRGENSI SACR. ROM. IMPERII
ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELE-
CTORI MAGDEBVRGI PORVSSIAE IVLIAE
CLIVIAE MONTIVM STETINI POMERANIAE
CASSVBIORVM VANDALORVMQUE NEC
NON IN SILESIA CROSNÆ ET CARNOVIAE
DVCI BVRGGRAVIO NORINBERGENSI
PRINCIPI HALBERSTADII ET
MINDÆ

COMITI MARCÆ ET RAVENS-
BERGÆ DOMINO IN RA-
VENSTEIN.

Se-

SERENISSIME ELECTOR Domine Clementissime.



Nnus jam agitur vicesimus
secundus, & quod excurrit,
ex quo in Divi Parentis Tui
patrocinium, & clientelam
veni. Accidit enim, ut
anno hujus seculi trigesimo
tertio ab eo ipso, quum in
aulâ Electorali Saxonica
cum Serenissimo Hassiæ

Landgravio, Georgio, Hero meo antiquo clemen-
tissimo, versarer, in consilium laborantis valetudi-
nis adhiberer. Fuit verò is successus, ut Maximo
Principi probarer non tantum, sed & paulò pòst Be-
rolinum instantissimè evocarer, saluti ejusdem, de
quâ consultationem habueramus, coràm provisurus.
Nunquam Principes absque numine sunt, quod
etiam iis favet, qui Principibus serviunt. Quò
gravius, imò desperatius erat malum, adeoque ma-
gis anceps ratio medendi, eò major felicitas ægro-
tantis, & mea, qui medicam manum, divino nu-
mine secundante, admoveram. Hinc pariter fie-
bat, ut flagrantiore me gratiâ complecteretur au-
gustissimus Herus, utque me retineret apud sese

) (2

Me-

Medicum, cui incolumitatem sui perpetuò crede-
ret, ageretque eo nomine iteratis literis cum Sere-
nissimo Hassiæ Landgravio, & tandem, postquam
essem dimissus, amplissimo stipendio augetet. Non
sum par enumerandis beneficiis, quibus me affe-
cit Dominus benignissimus, nedum ut de exor-
nandis cogitem. Quæ vulgaria sunt, prædicari
possunt: immensa & inusitata Deum authorem
referunt, omniq̃ue oratione sublimiora religiosi
potiùs silentii exigunt admirationem, quàm enco-
mia, quæ infra dignitatem rei longissimè relin-
quuntur. Certè flagrantissima illa gratia & invi-
dos & æmulos, ut quidem fieri amat, certatim mihi
excitabat, qui variis calumniis confictis eam mi-
nuere conabantur. Quorum tamen varias obtre-
ctationes sapientissimus Princeps ita elidebat, ut
me non tantum, quem fidelem expertus erat, ad-
versus præsentium insultus clementissimè tuere-
tur, sed & de reliquo suis interpositis verbis o-
mnem malevolis obtrectandi libidinem, spemq̃ue
per eam proficiendi præcideret. Quo ipso ap-
probavit, quantum veri & virtutis præsidium situm
sit apud summos Principes, Divus Parens, quo cum
paria nunc facis, & fecisti hæctenus Serenissime E-
lector. Non enim minora tuæ clementiæ erga
me

me extant documenta. Cum enim per medicas
conjecturas praeviderem, Divum Parentem à fa-
tali fortè termino non longè abesse, adeoque Se-
renissimæ Celsitudinis Tuæ, eo tempore Arnhe-
mi Geldriæ commorantis, Successoris nempe, cle-
mentissimo patrocínio me permitterem, votis o-
mnibus annuisti. Scilicet ea est maximorum in-
doles, ut verba pauca in proluxa amplissimaque
vertant beneficia. Quæ à Serenissimâ tuâ Celsi-
tudine profecta in me sunt omnia summa, eo-
rum specimen incomparabile cernere licet in eâ
causâ, quæ mihi cum calumniatore injustissimo
intercedit. Innocentia mea tuo patrocínio nunc
etiam triumphat. Quòd iniquos malevolorum
dentes & linguas securus contemno, Domino
meò clementissimo & pariter æquissimo publicè
acceptum refero. Etiam extra Germaniæ fines
nomen tuum pro Gorgone nobis erit. Sere-
nissime Princeps & Domine, non poterit nocere
tuis, quod tuæ Celsitudinis iudicio & authori-
tate depellitur. Quòd invidia plorabit, & vi-
rus suum resorbebit, iudicio victa & jussu tuo fa-
ciet. Ego in æternam immensorum beneficio-
rum memoriam literas Serenissimæ Celsitudinis
Tuæ in hunc ipsum retuli libellum, ut calumnia-

tor impudentissimus recognoscat, quo Teste refel-
latur. Neque enim summi & justissimi Principis
Sententia damnari poterit à quoquam. Qua-
liacunque hæc ad Serenissimæ Tuæ Celsitudinis
pedes humillimè depono, ut intelligant omnes,
quâ fiduciâ studeam famæ tuendæ. Ita Deus Se-
renissimam Celsitudinem Tuam in fastigio huma-
næ gloriæ conservet, ut omnibus bonis præsi-
dio, malis & sceleratis terrori exitioque porrò ef-
se queat. Valeat Serenissima Tua Celsitudo diu-
tissimè, Rei que communi præsit felicissimè. Da-
bam Hammopoli Pr. Non. Febr. Serenitati Tuæ
Filioque recens nato, Hæredi Electorali, quod
Deus bene vertat, Utrique Natali, Anno M DC LV.

Serenissimæ Tuæ Cel-
situdinis

Subjectissimus Client

Helvicus Dietericus D.

Ioh.

Ioh. Caselij ΔΙΑΒΟΛΟΙ præfixi
notis ad *Luciani Calumniam.*



Ρέμματα τῆς κερδοῦς λυσσῆρε
ἐκτον' ΕΧΙΔΝΗΣ,

Σιγηροὶ, βαθύνοι, κενεόφρονες αὐτ'
ἀδολέσχαί

Δειλοὶ, καὶ χθραματοὶ πολυχρύσων
θῶπες ἀνάκτων,

Φρικτοὶ ἀριστήεσιν, ὁμοίοις ἔχῃ Φιλητοὶ,

Μυσοδίκα, σκολιοὶ, ἀπατηπλόκοι, αἰολόμορφοι,

Ψεῦσαι, ψευδόφιλοι, κακοήθεις, αἰμαλόφωνοι,

Ἀλφῆσαι δολεροὶ κρυφίων, μύχιοι ψιθυρισαὶ,

Πάντες ἀμ' ὀλλύμενοι ὕδωρ ἢ γαῖα γένοισθε.

Franc.

Franc. Balduin. Comm. ad Le-

ges de famosis libellis p. 37. edit.

Paris. 1562.

MEmini, cùm olim puero mihi prælegeretur
Luciani libellus *περὶ τῆς Διαβολῆς*, (*de ca-*
lumniâ) me propè attonitum exhorruisse, tam
alienos abs virtute & veritate atque adeò sani-
tate olim fuisse hominum mores, ut talem pe-
stem tam cupidè alerent, sed postea vir factus vi-
di, quid esset causæ, & expertus sum, quod Lucia-
nus de suorum improbitate scripsit, multò magis
de hâc ætate dici posse, & larvatam illam furi-
am non solùm (quod ille ait) in *Aulis Principum*,
sed & in *Scholis Literatorum*, atque adeò in *Eccle-*
siis illorum, qui veritatis titulum venditant, re-
gnare.

Le-

LECTORIBUS

Benevolis & Malevolis.

Offero hîc utrique Vestrûm meam Innocenti-
am, ejusque animam, si quæ in me esse aut o-
perari potest, virtutem. Agnoscite, si pote-
stis; sin minus, mordete linguas & erubescite, si vul-
tis. De primis, qui Bonorum nomine auditis, bene
hîc sperabo; nec diffidam de vobis alteris, qui tan-
quam mali corvi malum soletis parere ovum: ma-
lum verò vos terreat nomen vel Numen, ne aut fœ-
tentes inde excludantur pulli, aut censurâ vestrâ ini-
quiore imbelles infontesq; meæ columbæ porrò ve-
xentur. Qui bonæ fidei aut mentis homines viriq; e-
tis, faciles, non mihi, sed iis potissimum vos præbebi-
stis, qui larga & fidei & humanitati, si quã in me de-
prehendere possitis, hîc perhibuerunt testimonia. Il-
la invitus quidem, sed coactus, nunc edo in publi-
cum. Quin quod mortuis aliàs solet, idem ego
mihi adhuc vivo hâc ratione jubeor præstare of-
ficium. Ecquid id rei, quæras? Edicam tribus: CO-
GOR MIHI PARENTARE! Tantum scilicet, si Diis pla-
cet, virium inest livori, invidiæ, calumniæ; à quibus
liber esse nequit, quicumque vel semel bonitati nô-

*
* *
*

men

men dederit. Longioribus, id forsan historiis eti-
am in me solo, quem viperini Invidorum dentes
vel inde ab adolescentiâ huc usque satis graviter
exercuerunt, nunc planum facerem, nisi è mille uni-
cum hoc, quod non ita dudum Ottho Tackenius,
quasi personata Furia, in orbis theatro, in me
statuere, sed irrito conatu, voluit, non potuit, suf-
ficeret Exemplum, cui nescio an simile aliud re-
perire liceat. Echidnomorus iste omnes, quot-
quot cogere & capere potuit, suas vipers, scorpios,
Dracones, Basiliscos, emisit, ut mihi noceret. Cor-
rasit hinc illinc, non secus ac Corradus ille contra A.
Cnöffelium, gravissima quævis calumniæ argumen-
ta, quibus ceu Elephantis aut muscis, viperis aut lo-
custis invectus in me involavit. Ipse Cerberus
si plura ipsi suggerere potuisset, non potuit verò,
nec illa siluisset. Ego verò tam fidus hîc ero, ut
& ipsi, & Lectoribus, modò nec illius nec vestrâ cum
ingratiâ id fiat, non meo, sed Amici mihi admodum
propinqui nomine, congenere nec adeò dissimile in-
videndi Exemplum suppeditare nō dubitem, quod
ita habet: Est Regio ad Arctoas plagas longo se-
mota recessu, inter vastissima duo constituta maria, vi-
ris, opibus, aliisque non ad necessitatem tantum, sed
opulentiam etiam abunde sibi sufficiens, & inter cæ-
tera vel hoc nomine commendabilis, quod erudi-
to-

torum non exiguus istic proventus, nec, ut ferè fieri solet, vili habeatur pretio. Imperabat tum temporis laudabiliter, & ut optimum decebat Hierarcham, Phronymus ejus nominis ultimus, Heros, si cætera spectes, ab omni parte venerandus, nisi quòd ad nutum loquentibus (vitium orbi aliàs familiarissimum) æquior, quàm fortasse decebat, aliquando videretur: Is ipse, cùm inter alios, quos sanitati suæ præesse volebat, etiam CLEOBVLVM elegisset Medicum, cujus cùm aliàs spectatæ essent dotes, tum vel maximè in desperato Philipponi affectu, ita se gesserat, ut non istic loci tantùm, sed exteris potissimum admirandus videretur. Inter cætera autem suæ artis adminicula thesaurum aliquem, bonâ quidem fortunâ, sed non nisi insigni labore, quo pretio mortalibus Dij omnia vendunt, invenerat, ut artis beneficio, Acidulas, Naturæ mysterium secretissimum, ita æmulari posset, ut sapore, colore, denique virtute quàm proximè ad illas accederent: Lætus quidem hoc inuento CLEOBVLVS, nec laboris sui pretium statuens, quod aliàs fieri solet, nemini hoc revelare, quantumvis pótiori jure inter secreta numerari posset, quàm multorum jejuna, macra & quibus incedunt tanquam suffurcinati nullius utilitatis remedia: sed cum commilitone quodam suo & pari passu ad virtutem properante socio commu-

* * 2

ni-

nicavit, neque hoc tantum, sed cum CLEOBVLVS ad
 honorem citius eueheretur, & aliunde fortunâ lar-
 gâ suppeditante manu haberet, quo se suosque ho-
 nestissimè sustentare posset, illius Socij sui precibus
 motus, ultrò promisit, quamdiu ipsi libitum foret, se
 nulli de compositione illâ vel revelaturum quic-
 quam. Accidit interea, ut alter ille in ALOPION si-
 ve vocatus sive spontè proficiscens non contemnen-
 dum sibi pararet lucrum, cum cæteris suis studiis,
 tum vel maximè hac eleganti acidularum præpara-
 tione, & ita quidem, ut non in hoc loci tantum apud
 Magnates in frequenti esset usu, sed fama etiam in-
 signis hujus remedij ad Phronimum nostrum de-
 ferretur, qui primò quidem non sumptibus parcens
 omni diligentia pretiosum illum ad se deferri cu-
 rabat liquorem, mox tamen languescente paulatim
 liberalitate, ut fieri solet apud illos, qui oraculi instar
 reputant illud Poëtæ;

Ω χρύσε δεξίωμα κάλλιπον βροτοῖς
 ὡς ἔτε μύτην ὑδῶνάς τοιάςδ' ἔχει,
 οὐ παῖδες ἐν δόμοισιν, οὐ φίλῳ πατρὸς
 οἴας συ, χ' οἱ σε δώμασιν κεντυμέναι
 εἶδ' ἢ κύπρις τοιᾶτον ὀφθαλμοῖς ὀχᾶ
 οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίας αὐτὴν ἔχειν.

Paulatim etiam cessavit remedij communicatio: do-
 nec CLEOBVLVS literis à Socio admonitus, se pensi
 non

nōn amplius ducere, quō minus & ipse liquorem à se inventum præpararet, adeoque omni juramento illum exsolvere: hinc factum, ut cū aliquando Cleobulus variis de rebus cum Philippono conferret, obiterque hujus aciduli liquoris mentio incidere, & Cleobulus illum non tantū sapius à se paratum sed primum se possessorem, si non inventorem, profiteretur, primò quidem mirari, mox sibi cavere jussit, ne si ad Phronymum res deferretur, ipse promissis impar, malam iniret gratiam: cū tamen his nihil Cleobulum moveri sentiret, res ad Phronymum delata, magnā illum affecit voluptate, domi enim & minori sumptu se habiturum sperabat, quod hactenus magnis impensis è longinquo afferri curasset: eāque intentione accersitus Cleobulus magnis ad conficiendum liquorem excitatur promissis, quibus obsistere cū ipsi religio esset, cū alias ob causas, tum vel maximè, ne majora viribus promissis videri posset: initio igitur operis facto, brevi liquorem alteri non similem modò, sed, quod Artificem decebat, nonnullis partibus præstantiorem eā diligentiam conficit, ut Phronymo non tantū, sed cæteris etiam, quibus *ἀνευ πικρῶν*, & de sinceriori luto, malignis vacua opinionibus, formarat pectora Titan, summæ res esset voluptati, æmulā Naturæ Artem admirantibus. Hinc nonnulli videntes, quan-

tum monenti pro conservandâ sanitate, utpote ἰδύσ-
 ματος ἰατρικῆς καὶ προσυνεσάτου afferret, vile reputa-
 bant, quantumvis magnum, quod redimendi tam
 pretiosi liquoris ergò impenderent: Phronymum
 verò major incessit ardor, penitiusque Naturæ ar-
 cana sciendi non vulgari flagravit cupidine, quip-
 pe Cleobulum sæpius interpellans, medicamenti
 compositionem ipsi revelare ne gravaretur, quibus
 cùm Cleobulus promptè minùs obtemperaret, ini-
 quum quippe judicans, rem multo sudore partam,
 secretissimamque nullâ urgente necessitate, nullâ
 ne quidem premij spe propositâ, propalare; quan-
 tum itaque per modestiam licuit, excusationum di-
 verticula quærens, non obscurè indicavit, salvis re-
 bus suis id ipsum fieri non posse: quibus minimè
 contentus Phronymus, quod hac viâ impetrari non
 potuit, aliâ aggrediendum ratus, aurum in auxilium
 advocat, quod optimè sciebat, quàm per medios
 ire satellites & perumpere amet saxa potentiùs
 ictu fulmineo: illiusque ingentem vim, additis sa-
 cris quibusdã stipendijs largè promisit; fateor, captus
 fuisset Cleobulus, nisi vulpis Æsopicæ instar vestigia
 diligenter considerasset, nisi illud Græcorum μέμνησο
 ἀπὸ τῶν penitus animo insedisset;

Προκαίας οὐδὲν Ἀνθρώποις ἔφου
 Κέρδος λαβεῖν ἀμεινον οὐδενὸς Σοφῶ.

Quan-

Quantum itaque citra damnum fieri potuit, splendidi-
dis istis fidebat promissis, quæ cum maximam par-
tem deficere manifestè sentiret, atque hoc tantum
agi, ut ille naso suspensus ludibrio haberetur, ubi,
quorum gratiâ hæc cæpta erant, fuissent revelata,
communicandi secreti spem omnem modestissimè
Phronymo ademit. Etsi vero quivis alius, quan-
tumvis sciendi cupidus, hîc subsistere debuisset, Co-
mici istius memor; Tua quod nihil refert, percon-
tari desinas; tamen ardor sciendi hæc omnia, eò
usque Phronymum impulit, ut quæ precariò ma-
gnisquæ, sed suspectis, pollicitationibus frustra ten-
tasset, ea astu & per interrogationum cuniculos o-
biter quasi se impetraturum fore confideret: hinc
aliud agendo exorsus sermo indifferens primò, mox
eò declinans, ut vel sine Secreti illius revelatione
sciri posset, quibusnam liquor ille constaret princi-
piis; Cleobulus cum manifestè satis intelligeret,
quorsum hæc tenderent, ingenuè fassus est, natura-
libus illum constare principiis, ex iisque artis bene-
ficio rectissimè confici posse; Phronymus tacitè si-
bi gaudens, prædæque quasi jam jam imminens, uni-
cum superesse credebat, scilicet edoctus, quænam
essent naturalia principia, atque ita vix fieri posse,
quin sufficienter instructus, à medicamento compo-
sitio.

sitione aberraret, Verùm Cleobulus cùm Phrony-
mum ulteriori informatione indigere negaret, ut
qui in Philosophicis haud leviter tinctus, sed pe-
nitus imbutus esset, instante tamē illo, quid per prin-
cipia demum intelligendum esset naturalia: re-
spondit, à Chymicis, de his enim sermo erat, haud
alia intelligi, quàm tria illa vulgò decantatissima,
sal, sulphur & Mercurium. Lætus eâ responsione
Phronymus, ratus id, quod non erat penitus, se
possidere, statimque negotium dat cuidam mini-
strorum suorum, quem in opere illo exercitatissi-
mum judicabat, sine morâ ut præpararet liquorem
illum acidularum æmulum, nec dubitaret rectissi-
mè confici posse: si ex sale nitro, floribus sulphuris
& mercurio dulci, quippe quæ crudis principiis pu-
riora magisque in alcool & meteoron redacta es-
sent, cum aquâ cærdui benedicti & cinamomi de-
stillatio institueretur, addito postmodum momen-
to syrapi de cinamomo. Ita factum, ut spirabant
pleni mysteria folles: conficitur pretiosus iste li-
quor, & confectus insigni titulo aureisque donatus
literis, AQUA REGIA DE TRIBVS, inter reliqua pretio-
sa destillata, quæ vocant, non infimum obtinet lo-
cum. Hæc omnia Cleobulo penitus inscio age-
bantur, neque enim ille sibi persuadebat, tam peni-
tus

tus

tus infirmo fundamento quempiam vel tentasse tam periculofam superstruere molem, donec unus & alter minus commodè degens, Phronymi instinctu pretiosi istius liquoris, aquæ Regiæ de tribus, portunculam pro recuperandâ sanitate adsumens ad orci ferè fauces, & furvæ regna Proserpinæ deductus esset: unde paulatim cæpit gliscere fama de Aquæ istius minus legitimâ præparatione, præter cætera enim symptomata, dentibus infaustus mercurius illos adeò mobiles effecit, ut parum abfuerit, quin cum illis animam pariter rejecerint Clinici. Ecce occasio calumniæ: ab omnibus impetitur Cleobulus, quòd Phronymum perperam docuisset, quòd malâ fide cum eo egisset; quòd maximis acceptis præmiis fefellisset & alia ejus generis enormia figmenta; denique omnia eò spectabant, ut, si fieri potuisset, Cleobulus alienæ culpæ poenam lueret.

Eâdem pene serie res gesta est cum pulvere aliquo solari, quem cum pariter Phronymus unâ cum aliis nescio quibus Secretis, anxie desideraret, & Cleobulum oblatâ magnâ satis auri copiâ invitasset, ut spectante ipso, magisterium sic dictum conficeret, quod cum modeste Cleobulus recusaret, metuens, ne quod alij cuidam specioso Artistæ jure evenisset, sibi falsò imputaretur. Planus enim ille cum pro solutione perlarum magnas rotun-

* * * *

das-

dasque expeteret, à Phronymo acceptas pessimè suffuratus, aliasq; vel nullas substituens Phronymum insigniter decepisse dicitur: Ejusmodi igitur suspicionem de se præbere metuens, aurum in totum recusavit, Menstruum verò confectum Phronymo obtulit, qui pro arbitrio solutionis auri periculum facere posset. Sed ne sic quidem calumniæ vim efugit; malitiosè enim, & quod calumniatores decet, scelestissimâ fide etiam in hac Urbe relatum scio, quasi Cleobulus aurum accepisset, Phronymo-que pro thesauro carbones obtulisset; sed cum Cleobulus sanâ fruatur conscientia, contrariumque, si opus esset, juratis demonstrare possit testibus, atros illos ridet contemptuique hætenus habet, quos, si perrexerint, suo tempore gravius ulturus est. Quam malam fortunam modò expertum audivistis infontem Cleobulum, eandem iniquissimam sortem, præter omne meum meritum & ego, sed animosè, hîc subire cogor, diversæ sortis Lectores. Vos, quibus incorruptum est iudicium, facilè scio mihi condolebitis; malè verò affecti, ridebitis, si puritas isthæc mea tanto calumniæ cœno inquinetur. Gratulabor mihi, quando in iudicio hoc perstituri, iniquiores mihi non fueritis Censores. Cogor enim & vos huc convocare, & simul cum Poëtâ exclamare; *ô Proceres, Censore opus est & Aruspice Nobis!* E-gone

gône & censuris variis & invidiæ illi jugo, quod
tanti viri fortes suâque virtute freti per tot & tot
secula hucusque sine ignominiâ sustinuerunt, me
subtraham solus, aut extra calumniæ quoque ja-
ctum tutus ero, si virtutis velim haberi aut esse stu-
diosus? Adsuevi jam isti tempestati, non secus, quàm
qui Neptuno in mari obsequuntur. Tonet ergò,
ningat, pluat, fulminet, diescat, vesperascat, nocte-
scat sub impetuoso irati Iovis Tackeniani, aut cujus-
vis alterius Tonantis Voëjovis cœlo aut sceptro, quid-
quid velit, ego in tranquillo hoc meo innocentiaë
navigio, per latum invidiæ æquor, non nisi expan-
sis virtutis, doctrinæ, ipsiusque bonitatis ac verita-
tis velis provectus, quæ vitare nequeo, tonitrua, ful-
gura, fulmina, securus & imperterritus hîc expecto,
majora & graviora quævis naufragia etiam bonæ
vitæ, fortunæ ac famæ gratiâ porrò experturus &
spreturus, dum murus aheneus erit; nil conscire mi-
hi, nullâ pallefcere culpâ. An criminis ab iniquis-
simo Adversario intentati reus sim, an purus, præ-
sens vobis hic indicabit libellus, quem ut sine af-
fectu legatis & æstimetis, est quod nimio opere à vo-
bis contendo. Ita vero legite & judicate, ut &
candidè & peritè mecum egisse videamini. Quin
vobis persuadete, me non minimam felicitatis meæ
partem hæctenus in eo locasse, quòd omnia æquo

* * * * 2

sub-

subinde ita pertuli animo, ut vel hoc nomine invidiam virtute laboribusque meis partam non oneri sed honori mihi ducere debeam. Ita nempe, quod patior, passus & passurus sum, nec infrequens nec ignominiosum, nec ingloriosum mihi esse, fuisse aut fore judico. Eoque audacior, lætior firmiorque hinc sum, quò magis ex illis, quæ in vestri judicij formandi, meique nominis ac honoris defendendi gratiam hinc jure meritoque, coactus quamvis, congesti, constare vobis potest, imò debet, quam ficulis, frivolis atque invalidis armis contra me pugnet hostis, cujus omnino vanam sine viribus iram deprehendetis ipsi. Genium ejusdem, si ignoratis, cum ex toto hoc opusculo, tum in primis Excellentissimorum Virorum D. D. Timpleri & Cnöffelij literis, ni fallor admodum, cognoscetis, quas ultimas, serò nimis missas, cum alicujus momenti sint, locum verò inter jam impressas invenire non poterint, in frontispicium libelli hujus mei Apologetici huc locavi. Ex his ergò omnibus palàm fiet, hunc hominem purum putum esse Sycophantam, blateronem insulsum, agyrtam loquacem, Græcorum K. & Θ. dignum, simiam in purpurâ, & si quid pejus de ipso dici potest: vel si mavultis, præsentabit vobis facetè Avem monstrosam illam Indicanam, Nasum dictam, quæ rostro maximo exiguum corpusculum ostentat, de quâ Epigramma:

Si

Si rostrum accipias, volucrem Nasutum Elephanta
Pœnè putes: Naso cornua tanta tument!

Et vox tanta sonat! toto an pars corpore major?

Hui Monstrum! Tubicen jam minor ipse tubâ est.
Tantum est, quod præfari volui. Addam nunc Excel-
lentissimi viri, D. D. ANDRÆ CNOEFFELII S. Reg. Maj.
Poloniæ & Sueciæ &c. Archiatri celeberrimi, Amici
è veteribus primi, Literas, quarum in Præfatione ad
LECTORES modò facta est mentio, quæ ita habent:

*Nobilissime & Celeberrime Vir, Fautor antiquo
reverentia cultu observantissime.*

*C*Um pudore calamus hic conscius silentij rustici te salu-
tat. Ternas literas ingenuè me recepisse, quibus non-
dum responsum, fateor. Vbi ubinam fuerim, ipse mihi nescius;
in bello, in campis Elysiis nunquam: potius intra umbras Ere-
bi noctemq; profundam, cum Morboniâ & Sorore Mortâ con-
flictatus, quæ binæ uxorem meam post chronicum trienna-
lemq; decubitum, tandem anno 1653. 24. Augusti eò abstulere,
unde negant redire quenquam. Viduatus postea apud inferos
cum larvis concertavi. O quàm Nos idem fatum pessimis ho-
minibus, genere gerynaceo ortis, anguibusq; rapacibus impo-
storum Medicorum miscet, cujus rei indicinam videbis in his
Exercitatuunculis meis, contra talem certè conscriptis, qua-
lem & quantum tu habes Antagonistâ, hominem ex Apothecâ
profugum; qui nostram Pharmacopœam Regiâ spoliavit, dum
esset famulus officinæ, postea gratiâ Serenissimi Regis mei

* * * * 3

Re-

Restâ bovis sive asini, & carcere liberatus & Varsaviâ pro-
scriptus, in Italiam profectus, in Doctorem, ut audio, profecit
seu defecit. O tempora, ô mores! Omnia hæc in Regiâ Au-
lâ publicè commissa sunt. Regiomontum Prussiae degeneris
hujus hominis plura & nefanda facinora novit, quæ causa est,
cur pessimus non repetere audeat loca pristina nefariè à se-
se decepta & derelicta. Si lubet modò duabus lineis dignari
nostrum Pharmacopolam Regium, habebis, Vir Amplissime,
Testimonium Iudiciale, quod miraberis, & tecum plures, qui
hominem non noverunt. Fusius de his & aliis meis negotiis
aliàs scribam. — Propediem ~~per~~ lutum meum graphicè
depingam, in quo hætenus hæsi, præpeditus ab omni scripti-
one. Dab. die II. Febr. Anno M DC LV. In Eremitio mei
Wernersdorff. Laboratorij, ex quo post biduum Varsa-
viam Deo volente repeto. Vale & ama tuum Amasium ve-
terem. Interea tamen me vivere Dei gratiâ adhuc

Tuæ virtutis & Favoris

æternum Cultorem scias

Andream Cnöffelium D.

(Inscriptio) *Magnifico Nobilissimo & Celeberrimo Viro Dn.
Helvico Dieterico, Medicinarum Doctore, Electoris Brandenburgici, ut
& aliorum Germaniæ Principum Archiatro meritissimo & c. Domino
& Fautori antiquo observantiæ cultu honorandissimo.*

Hamburgum.

*Auditis tot tantisque querelis, mirari nolitis, si quis for-
tè ex adversâ parte cum Poëtâ hîc quærat;*

Nosti mortiferum, Quæstoris Castrice, signum?

Est opera pretium discere Theta novum!

Phi

Philalethis Bonæfidii de sale Vipera-
rum Satyropægnion.

Vipereos dentes, squamasque & sibila linguæ,
Et virus dirum, & petulantis verbera caudæ,
Volventesque sinus, tergumque immane colubri,
Scintillasque oculosque & hiantem in prælia rictum
Hactenus ætatum seris dedit usus ab annis,
Et Tityrus vidit viridi prostratus in ulvâ.

Nunc nova progenies se post carecta minatur,
Et sal vipereum sanantibus ingerit aulis
Asclepi, curisque virum, quos secula mundi
Hactenus ægroto generi ceu fulcra dedere,
Et mediis crebrum ostendit medicamen in hortis
Thessaliæ Colchique, aut quale Epidauria monstrum
Extulit, & magnum seculo tulit omen in isto.

Sic ætas sibi condit opes, mysteria terræ
Cecropiæ, quæ durus arat Radamantus agellos,
Et vastos hortos Podalirius ordinat herbis:
Vel quæ Mercurius dictum alto carmine Moly
Vipereis sevit salibus, geniumque medendi
Indidit, & morbis monstrum fatale subegit
Dentibus anguineis, & buccis nobilis orci
Eumenidum, queis colla rigent, nodique plicantur
Cerberæi villi: seu quæ se excelsus Agenor

Hör-

Horribili jactat fatò, cùm Cadmus in orbe
Prælia serpentum plantavit, & omnia falso
Munere Cecropidum latè loca primus adussit.

At tu felicitis salis ô dator, accipe sertum,
Quo Te seclorum donat fuga; nobile sertum
Viperei roris, qualem ferè sudat amomum
Ditis, & horrentem brumali frigore spinam
Arva stygis gignunt: queis se serpentibus auctæ
Vipereæ volvunt turbæ: quàque agmen oberrat,
Purpureos trahit inde sales; hinc purpurat arva
Coccineo latice, & colubrinam humectat arenam.
Hic sal vipereum, hinc nova se medicamina tollunt,
Et caput Anticyris tribus insanabile curant.

Vos verò Asclepi soboles, genus acre medentum,
Si qua fides foliis, si quid mihi cantat Apollo,
Frigidus hoc vivusque latet sale, credite, serpens,
Et fugite, ô fugite hinc, grano micat anguis in isto.

Dabam ad Salinas Echidnéas,
Mense & Anno eodem, cùm vari-
os passim insignis hic & impro-
bissimus Planus, Pseudosale suo
viperino deciperet, viperam verò
longo tempore non vidisset.

CUM

CUM DEO.



Virtutis ea est natura, ea indoles, ut ex omnibus bonis, quæ mortales admirantur, sola sit inviolabilis, immota, inconcussa. Quamvis enim nil in rerum naturâ tam sacrum sit, quod sacrilegum non inveniatur, Virtus tamen extra omnem periculi jactum posita, invadi quidem, nullo verò modo opprimi potest; Invulnerabile enim est, non quod feritur, sed quod non læditur. Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, qui incurrentia ultrò retundunt; quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flammâ circumfusa, rigorem suum habitumque conservant; quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sevitix vestigia tot verberati procellis ostentant: Ita Virtutis status solidus est, & id roboris collegit, ut tam tuta sit ab injuriâ, quàm illa, quæ retuli. Sive enim fures, latrones, raptores, calumniatores, diffamatores, & si qui alij humani generis hostes agmè faciant, plenoq; impetu in Virtutem ejusq; possessorem irruant, nihil ipsi nocere, nihil eripere possunt. Nihil enim aufert fortuna, nisi quod dedit. Virtutem autem quomodo detrahet, quam non dedit? Quapropter sola hæc sibi confisa, se contenta, adversus apparatus omnium terribilium, quæ hominè exterrere possunt, rectos tenet oculos, nihil ex vultu mutat, sive dura illi, sive secunda ostendantur, aded nec ab omni pessimorum mortalium turbâ ne inclinari quidem, tantum abest, ut vinci possit. Solam tamen invidiam patitur comitem, quam verò individuum sociam, non malum, non dedecus, sed summam ducit laudem. Præclare Tullius: (1. Catil.) *Hoc animo semper fui, ut invidiam Virtute partam gloriam, non invidiam putarem.* Fuit enim omnium seculorum hæc labes, hæc macula, virtuti invidere, & eum, quem abjectissimus quisq; assequi non potest, infringere velle florem dignitatis. Bene Aristoteles. (lib. 2. Rhet. c. 10.) *Invidia molestia est ex eo, quòd in eo, de quo diximus, bonorum genere, alij similes bene ac feliciter rem gerere videantur. idq; non, ut ne quid eve-*

nias

niat ei, qui invidet, sed eorum ipsorum causâ, quibus invidetur. Quod
 quidem à nemine nisi improbo, pravo, abjecto, rerum magna-
 rum non capace fieri palam est. Rectè Stagirites; (*loc. cit.*) *Qui*
opinionem Sapientia aucupantur, nec tamen assequi possunt; qui angu-
sti & pusilli sunt animi, facile invidere solent. Paulò post: (*c. seq. ii. eod.*
lib.) *At invidere improbi & hominum improborum.* Hi enim dum id,
 quod alios possidere vident, parare non possunt, primùm tri-
 stantur; (est enim invidia molestia;) mox animo perturbantur; li-
 mis spectant; pallefcunt; ingemiscunt; clanculùm adverfantur,
 quas possunt, remoras injicientes; multa falsa in ignominiam
 confingunt, aperta mendacia spargunt, & convitiis tandē pro-
 scindunt; sperantes se dignitatem hac ratione obscuraturos; ve-
 rùm ausu planè irritò. Ut enim arbores altiùs terram compre-
 hendunt, quò sæviùs ventorum furiis agitantur, ita clariùs illu-
 stratur & puriùs enitescit dignitas, & amplitudo bonorum viro-
 rum, qui improbè à malevolis sive mendaciis obruuntur, sive
 convitiis impetuntur. Optime & verissimè Tullius: (*pro Q. Rosc.*
Comed.) *Ut ignis in aquam coniectus, continuò restinguitur & refrige-*
ratur sic refervens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam
collatum statim concidit & extinguitur. Ne jam de Socrate, Aristide,
 Themistocle, Catone & aliis priscis Heroibus, *λεψ ἀνοίς τῆ Χρυ-*
σῆ γέγυς, in hoc campo exercitis, quicquã dicam, ipse Iove pro-
 genitus Hercules, *divam qui contudit hÿ dram*, qui omni genere
 monstorum terras liberavit, & quem fama beneficiorum me-
 mor adscripsit numero Divorum, non priùs invidiam debellare
 valuit illam, quam dixi, individuan Virtutis comitem, quàm
 mortalibus relictis, longū huic orbi dixisset Vale. Ut verò quisq;
 est contemptissimus, ita quoq; solutissimæ est linguæ & impu-
 rissimi oris. Cùm Aristides Athenis ad supplicium ducebatur, cui
 quisq; occurrebat, dejiciebat oculos & ingemiscebat, non tan-
 quam in hominem justum, sed tanquam in ipsam justitiam ani-
 madverteretur. Inventus est tamen, qui faciem ejus inspiceret:
 poterat ob hoc tamē non molestè ferre, quòd sciebat neminem
 id

id aufurum purioris. At ille absterfit faciem, & subridens ait comitanti Magistratui: *Admone istum, ne postea tam improbè oscitet.* Impurissimū hominis sputum justissimus homo contempsit; num sceleratorum hominum mendacia, in ignominia nostri improbè conficta, quæ nil nisi foetid⁹ halitus, aut putris aër, ad animum magnoperè revocanda? Satis seipso ulciscuntur, dum dies noctesq; se cruciant, nunquam quieto sunt animo, macie & pallore tabescunt, sibiq; vitam ferè exedunt. Quibus quidem cogitationibus me nō parū erigo sustentoq; dum animum meum subeunt atrocissimæ injuriæ, & putida mendacia, quibus à malevolis oneratus fui. Cujus gregis quidem familiam ducit OTTO TACKENIUS, olim famulus pharmaceuticus, hodie Med. Doctor Venetiis degens. Is insigni audaciâ, ut vel ruditatis, cujus sibi fortè conscius est, opinionem à se depelleret, vel eruditionis, si diis placet, sibi conciliaret, conscribilla vit (ita enim cum hoc homine loquendum est, qui inter *furnos & carbones*, ut ait, retoricatur,) Epistolam doctam valdè (ut ait præcipuus obscurorum virorum) de *famoso liquore Alcaest*, quam in Italiâ noluit edi, ne dum illa exiret, luce ejus omnia scripta Helmontina, quibus Epistola illa erat opposita, ad eò obfusarentur, ut imposterum nullum invenirent emptorem. Contigit scilicet bello huic auctori, quod de Poëtis scribit Aristoteles: (*lib. 9. Eth. Nic. c. 7.*) *Nempe eos poëmata propria ac filios supra modum amare.* Ut enim matres deformes liberos sæpè impensius amare solent, quàm elegantes, ita Tackenius eodem affectu erga suum foetum animatus, quiescere non potuit, quin orbi exponeretur. Nolebat tamen Bibliopolæ, cujus sumptu Helmontij scripta prodierant, ullum inferre nocuum, quapropter precibus ejus victus ad amatam prolem suam ad Primarium quendam Germaniæ Principem transmisit, obnixè rogitans, ut indultu ejusdem publico exponeretur. Ut Lectori de omnibus eò meliùs constare possit, literas Tackenij, ad Ministrum quendam aulicum, non infimi nominis, scriptas, in quibus editionem petit, subjicere placet, quæ ex Germanico idiomate in Latinum conversæ sic habent: A 2 Lit.

(Lit. A.) Epistola Tackenij ad Ministrum aulicum, quâ
publicationem Epistolæ de Alcahest petit.

Clarissime Vir, Amice honoratissime.

Ante tres & quod excurrit septimanas ultimas meas ad Te dedi,
quas Mercatori inter Hamburgenses celeberrimo Domino Alber-
to Balthasaro à Bebrns commenda veram, inclusas, ut, quò decet, cu-
raret. Sine ambagibus ibi delineaveram dixeramq̃, quid, juxta Hel-
montij mentem, sentirem de liqore Alcahest? Temporis verò angustia
excluso mihi ad amussim singula demonstrare aut decidere non licuit.
Ansam interim & occasionem huic operi dedit Serenissimus Vester, ut,
mediante auctoritate Philosophorum, ostenderim, liqorem Alcahest, ju-
xta Helmontium, esse non-ens. Scriptum hoc meum in gratiam Fratrum
Alcahestianorum, quorum quidem numerum infinitum movimus, pu-
blici hic juris fieri maluissem, sed ne id facerè, precibus hoc apud me suis
avertit Typographus, qui Helmontina opera Venetijs recusa nondum di-
straxerat, ob multitudinem Exemplarium. Metuit nempe bonus ille Vir
ne divulgatâ hâc meâ Epistolâ, damnum ipse pateretur, invenditis reli-
ctis Helmontij libris: (quibus ipse ego addidi indicem.) Literas verò scri-
ptas visum fuit mittere & dirigere ad Serenissimum Vestrum Principem,
è quibus sufficienter erudietur sua Celsitudo, quantum Philosophorum
Mercurius distet ab Alcasto Helmontij! Allegavi item loca Autorum, è
quibus facile liceat colligere veritatem rei. Imò literæ hæc meæ multis sua
certissimè exponent somnia. Et nisi adversum fuerit Principi Optimo, po-
terit Epistola hæc Typographorum vobis vicinorum (quorum copia suppe-
set) operâ edi in publicum, intereâ temporis, & donec impressæ illa meæ
chartæ huc advolaverint, sine dubio distracta per nostrates Typogra-
phos erunt residua exemplaria Helmontina, de quibus antè dixi. Et sic
me commendo vestro favori, rogans, porrò quoq̃, haberi in numero eo-
rum, qui Principis adorent gratiam. Raptim dabantur Venetys XIX. Ja-
nuar. M DC LII.

Vester ad servitia
TACKENI.

Pre-

PReces harum literarum eximio ejus desiderio haud sufficere videbantur: quapropter eas paulò post iterabat. Appendix ita habet: *Ante paucos dies huc appulerunt N. N. per aliquot menses hic simul mansuri, visum hujus loci opera, comedias, choreas & crepundia. Iterum Vale, certiozem me facturum, an Princeps consenserit in editionem hujus mei scripti?*

Ut verò paulò antè laudatus Princeps insignis est clementiæ & mansuetudinis, certè nemini vel vilissimo etiam mortalium, cui quidem benignè facere ullo modo potest, adversus est, ita iteratis Tackenij precibus annuit & editioni consentit. Hac ratione, ipso Tackenio volente & obnixè rogante, Epistola fuit impressa. Ne verò meo adversario ullam inferam injuriam, aut lectoris animum relinquam suspensum, en integram Epistolam, ut à Tackenio scripta est, addam, ne apice quidem uno dempto aut addito, vel etiam immutato aut translato, nedum literulâ, aut syllabâ, vel vocalâ.

(Lit. B.) Epistola

De famoso liquore ALCHEST

Ad Serenissimum Ducem & c.

Per Otthonem Tackenum Medicinæ Doctorem Conscripita.

Serenissimo atq; Celsissimo Principi ac Domino

Dno N. N. Hærede & c. Domino suo

Clementissimo.

Mibi quidem ignotum est Serenissime & Celsissime Princeps, Studij sapientiæ promotor, ac Naturæ & Artis Secretorum Indagator Excellens, an Clarissimus Doctissimusque Vir Joh: Baptista van Helmont Brûxellensis, realiter possedit liquorem Alcahest cujus per totum ejus scriptum frequenter commemorat, ea quæ scio & circa

A 3 opta

optatum liquorem tentavi quoniam C. T. Clementissime per Nobilissimum atque Doctissimum suum N. N. id a me expeijt Candide (citra tamen retoricam artem quâ destituti sumus) recensebo modo Stylum depressum, orationemq, domesticam non egre feras; Dulcior siquidem, vel suavior inter furnos carbones ac ignes non exercetur.

Epistola hac si forte prolixior videbitur C. T. ob materia splendorem, famosamque magnificentiam & argumenti magnitudinem ignesces.

Alcahest est nomen corruptum à Theophrasto Paracelso ita usurpatum, quasi dixisset al-gaist pronunciauit autem literã g duriore aspiratione, eo quod Helvetus erat, & pro al-gaist dixit scripsitque al-Cahaist liquor nimirum qui totus est Spiritus, sed ad occultandum arcantum retinuit Clarissimus van Helmont Helveticam expressionem vocavitque Alcahest, quod sonat totus Spiritus, etymon autem nominis, quod sit genuinum probat ipsius Helmontij Circumscriptio, quod liquor Alcahest resolvat omne Corpus visibile in primam sui materiam, agitque sine virium diminutione &c.

Materia ex qua quantum ego pro mea tenuitate judicare possum est Mercurius vulgi metallicus. Helmont autem occultat id sedulo, nec credo quisquam vulgari modo Philosophantium Materiam vel preparationem ex ejus publicatis scriptis erui posse. Indigitat quidem unico vel altero verbo libro de lithiasi cap. IV. §. 14. Ubi pavidus inquit (timens ne ipsum forte quis loqui sentiat) notetur inquit actio Mercurij absq, repassione essentiali Substantia sua estque consideratio magni momenti &c. Profecto invidiam hujus Viri admiror, quod vix audet materiam nominari, & nihilominus conquerit de difficultate preparandi de lithiasi cap. VII. §. 23. Ubi inquit, est autem hoc opus longe difficillimum &c. Et eodem tractatu cap. IX. §. 27. Qui cum sit tediosissima preparationis, nemo etsi artis gnarus fuerit ad ejus consecutionem perveniet, quem altissimus speciali dono non eo deduxerit &c. materiam tamen & preparationem nihilominus profunde abscondit, immemor continua sua increpationis de caritate & liberalitate erga proximum.

Dico

Dico itaq; si liquor Alcahest preparari non potest, nisi ab eo qui ad id opus à Deo ipso sit electus, quare ergo non manifestavit materiam saltem, ut is qui quandoque sit electurus breviori via id perficeret in honorem Dei & proximi necessitatem? aut quare non scripsit ejus preparationem Stylo mystico, ut ante ipsum fecere Philosophi? Responderet forte, ob rationem notam adeptis. Eheu dono liquorem Alcahest, sed quare non distribuit fructus saltem inter necessitates miserorum. Ex: gr: Ludus paracelsi fit cum liquore Alcahest, absque reactione patientis, a gentisq; de pauperatione de lithiasi cap. 7. §. 22. & 23. quem ludum tam proficuum esse scribit calculosis: quare inquam cum idem liquore, non perfecit hujus ludi quantitatem? reliquitque ipsius posteris ut dispendarent miseris & ejulantibus calculosis? praesertim cum unica uncia liquoris sufficeret, multa unciarum millia ludi, sensim converti in Medicinam calculi medelam. Vel quare non curavit perficere Arcanum Corallinum, toties ab ipse decantatum? Quod fit unius horae quadrante libro de febris cap. XV. §. 10. Citatq; Raimundum Theori: cap. 87. quod astantibus amicis & praesente Rege coagulaverit Mercurium, &c. Fagnoscat mihi Philosophorum Doctissimus van Helmont (loquor Authority Doctorum virorum, qui ejus Medicina fundamenta plane verissima affirmant) Raimundus citato loco de lapide Philosophorum loquitur quem cap: 86. Theor: vocat aquam vivam ex binis spermatis & non de liquore Alcahest, quem Raimundus non cognovit, ut scripta ejus abunde testantur.

Sed quorsum vado? redeo ad materiam liquoris Alcahest quam autor profundissime occultavit, observavi tamen quod in tractatu cuius titulus progimnasma metheori §. 14. tam materiam, quam preparationem non nihil suo modo attingere audeat, & indigitat quod fieri debet ex mercurio ac quomodo sulphur ab eo separari debet, hic labor hoc opus, inquit; adjungit quoque ex Gebro (in summa Tit. de Essentia Veneris) quod sulphur difficulter ab eo tollitur, attamen nihilominus per artem separatur, & tunc nullo igne amplius (& paulo post) excepto suo compari. Idem enunciat de liquore Alcahest Tract: cuius titulus Ignota actio regiminis §. 11. quod non mutatur neque viribus

bus diminuitur nisi à solo suo compari. Ergo Mercurius a Sulphurè purgatus & liquor Alcahest utriusque indestructibiles una & idem vult esse materia.

Quod attinet præparationem, profecto multa circa Mercurium tentavi & in formas innumerabiles redegi, Observavi tamen quod extra philosophorum semita nil quicquam ab ipso separare potui, & quicquid cum tædio tandem demi, & ex retorta in aquam frigidam igne forti distilavi, tota illa materia quam ejus fecem existimavi redijt vivus mercurius sine perditione ullius grani. Tandem anxius nesciens quorsum me verterer, incidi in locum, ubi Autor inquit, liquor Alcahest Paracelsi, mi persuasi certo certius in ejus scriptis quaedam informatio extari debere, relegi totum opus arrisit mihi, ubi describit aquam ex Mercurio septies sublimato, & sale armoniaco quoque sublimato mistis & denuo sublimatis, toties quoties necessitas flagitat; hæc aqua inquit, diligenter esse cognoscenda, atque indefesso labore tractanda, quæ neque Rupescissa & alijs fuit cognita asservabis diligenter, quia facile princeps, inquit &c. pro primo intuitu, credidi pro certo, quod Mercurius a tot sublimationibus tandem superfluitates deponeret (Hoc in processu, Hæsit quoque fortassis Helmontius per Menses 18. ea propter mansit liquor imperfectus &c.) at eventus derisit vanas meas tentationes, nam post infumti laboris integri anni, post tot cruciatus & mutationum formas redijt currens ac vivus Mercurius; Tunc sese mihi manifestavit ejus fundamentum & Cognovi verum esse istud Gebri, aut totus in igne permanet aut totus ab eo recedit.

Conclufi mecum fortasse non reperiri tale solvens in rerum natura, quod responderet dotibus & donis liquoris Alcahest: Doctissimus Helmont, postquam apud Paracelsum cap: de Hepate verbum, Alcahest notavit (quod ibidem est lapis philosophorum plusquam perfectus) pro hepate nimirum corrupto requiritur liquor Balsamicus non autem causticus, ut perversè intellexit (nam post quartam fermentationem, inquit Joh: Dee Londinensis in monade Hieroglyphico Theoremate 23. & in præfatione ejusdem, ulterius nutriri non potest licet Hermetice sit clausus, attamen

invisibiliter & spiritualiter vitrum transit atque in auras abit. Idem affirmat Isaac Hollandus in fragmento de lapide Philosophorum hanc ob causam vocatur a Paracelso totus spiritus id sonat Helveticorum sermone Al-Khaißt investigavit etimon hujus vocabuli, ut supradixi, sibi persuasit, paracelsum sub titulo Al-Khaißt occultari nomen mercurij philosophorum, quem ignari solvens universale appellitant, eò quod Al-kaißt sonat totus spiritus, viditque, ex philosophorum scriptis, quod eorum Mercurius, ex mercurio vulgi fieri deberet, Concludit: priusquam mercurius sit solvens universale, deberet fieri instar aquae representans formam aquae Elementaris, & ex illa speculatione totam suam doctrinam fundavit, fortassis bono Zelo, ut studiosis investigandi ansam preberet Hae autem mea sententia quod sit, vera probat ipse van Helmont, qui Tractatu cuius titulus potestas Medicaminum § 42. conquerit, quod olim Aurum dissolvere non poterat. Deinceps vero potuit dissolvere, non autem vera & reali solutione, sed butiri, resina vel vitrioli facies ludere, nusquam etiam invenit virtutes auro tributas, nisi radicaliter a suo proprio corrosivo (quod non est Alcahest sibi ignotum hoc loco fatetur) penetretur.

Deinde libro de Febris cap: XIV § II. inquit quod mercurius fixatur beneficio Alcahest ferens omnem folium ignem, itque non dissolvit neque aurum neque mercurium, Ergo liquori Alcahest, non convenit descriptio, quod omne corpus tangibile, resolvat in primam materiam (nisi velit mercurij prima materia sit pulvis fixus) ex istis colligo, aut quod liquorem saepius nominatum non habuit vel quod illum non sat examinavit.

Porro de lithiasi cap: IX. § 27. inquit nemo medentum curavit unquam lepram, qui non fuerit potitus liquorem Alcahest, & paulo post sui liquoris immemor, recurrit cum filia primogenita leprosa ad divam imaginem virginis, ubi sane non cum Alcahest at miraculose restituta sanitatem acquisivit.

Pace tanti viri, dicam quod sentio. De lapide Philosophorum scribunt

B

Adep-

Adepti, ea qua Autor noster attribuit liquori Alcahest (sibi que Adepti titulum non video, qua Autoritate adscribit) nimirum potest ejus plusquam perfectionem corpora in primam materiam reduci & Metalla, Christallum, Gemmas, perlas, silices ac lapides (etiam microcosmi ex quibus ludus paracelsi paratur) omnes nec non mineralia verè potabilia reddit. Animalia à morbis liberat; inque vigore virtutis sue conservat vegetabilia fere emortua, essentia simplicium specifica fermentatus & methodice iisdem applicatus vivificat, & ab interitu imminente vindicat Omnes hasce virtutes inquam Nobilissimus Helmont attribuit liquori Alcahest, quem ego iudico non ens nisi subintelligit lapidem Philosophorum, neque sub eo nomine dictum lapidem intelligere potest, cujus cognitionem habuit nullam, id apparet ex descriptione liquoris Alcahest, quem incorruptibilem aquam appellat sitq; denuo separabilis a soluto: Aqua vero Philosophorum juxta Autorem via universalis (Tractatus primus Theatri chimici volumine tertio quem librum composuisse credunt aliqui Honorium philadelphum) cap: 16. postquam sit facta ultra 2 horas non conservari potest nisi cum auri corpore, & ab ipso auro juxta Cosmopolitam Tractatu de sulphure Titulo de 3. principijs omnium rerum non separatur in æternum, & istis liquet harum aquarum differentia & quam profunde Hallucinatus Doctissimus von Helmont.

Observavi virum facile credulum quicquid sibi somniarit, id pro Autentico amplexus est, ea propter cum viderat quod Butlerus (videatur Tractatus Butler) cum lapide philosophorum quem oleo intinxerat (erat enim plusquam perfectus, & totus spiritualis per fermentationem factus & ob id accommodabilis omnibus liquoribus tam oleosis quam aquosis) mitigaverat spiritum impetum facientem obstupuit) instar alter Midas factus inquit (contraxitq; cum incarcerato Philosopho Butlero amicitiam (nisi incarceratus fuisset fortasse amicitiam denegasset) qui obridens illum dixit, Amice nisi unico remedio queas sanare quemlibet morbum, manebis in tyrocinio ut cunque senex evaseris, & procul dubio, obiter narravit Butlerus de potestate & virtute lapidis benedicti, quem penes se tunc temporis ferebat, viditque operationes

nes

nes actu mirabiles, quare non destitit, per cunctari à Butlero quid & qualis sit lapis ille? Respondet Butlerus, esse lapis, confectus ex sale sulphure veneris, usneo &c. conglutinatus cum ichtiocolla artificio, magno & philosophorum more solutus & denuo reconjunctus (hac enim nomina per similitudinem conveniunt lapidi, & non solum hac, sed & alia infinita, omnia non sine ratione, credidit inquam nudis verbis credulus at Doctissimus Helmont, immemor Bernhardi Comitum Trevisani qui ait tota difficultas est in nostris vocibus atque intentione. Inquisivit sedulo spiritum solventem, quem Paracelsus Alkaist indigitat, & cum eo sulphur ex cupro segregaret, pro base lapidis Butleri, anxie itaque meditatus est, postquam videret effectus, nil secus sub somno cogitabat. Quapropter dudum deinceps tentavit illius fabricam, attamen non successit pro voto negotium ex istis apparet quam stricte Butlerus loquutus fuit, non enim consultum putabat aperto ore pro loqui, hujusmodi arcanum, nam quod paucis notum est valde bonum est inquit idem Trevisanus, nec non Joh: Augustinus Pantheus in Voarchadumia sua, Opinanter tamen sibi firmavit, dari liquorem qui mercurius philosophorum esset, quo cum sulphur cupri a corpore separaretur & sine ulteriori indagine supra hunc fundavit Doctrinam suam phisicam, quam de inceps mechanicis quoque sibi somniatis Confirmari ausus est. Docet enim Tractatu cujus titulus Complexionum atque mitionum elementalium figmentum § 9. quomodo aqua vita dephlegmata & tota oleosa in sale Tartari siccato pro 16. parte sui coagulatur in sal, reliqua aqua vita fieri debere aqua elementalis, illud autem mechanicum, verum non deprehendi, licet varys in locis pro axioma tanquam verissimo citat, nec minus verum de lithiasi cap. 3. § 43. item cap: 5. eodem Tract: § 20. & Tract: spiritus vita § 17. Quod sal urinae condensat spiritum vini in offam volatilem. Sal nimirum urinae ab ambiente in liquorem solutus & spiritus vini dephlegmatus, si aequales partes copulantur post mediam horam, in frigido Coagulatur, pro parte sal urinae & non spiritus vini, qui ut dixi, dephlegmatus illico cum ea humiditate sibi jungit qua sal urinae solutus tenebatur, sal autem cum spiritu vini non miscetur, de necessitate debet sibi se-

parare ab aquea materia & granulari in salis formam, ita omnia reliqua salia ut citius ex sua myria Concrecant inspergitur aqua vite dephlegmata non ergo spiritus vini condensatur passive, ut Autor noster hallucinatus existimavit. Hec & alia quam plurima semel oculis visa, citra examen veritatis firmiter credidit, prout de lithiasi cap: 3. § 10. ubi inquit, quod spiritus sulphurum vel salium acidus cum corpore alcalizato fieret terreus. Hec vidit semel cum spiritu vitrioli vel sulphuris acido, in sale tartari & subito universaliter conclusit, idem vero non fit cum spiritu nitri acidissimo nam si sale Tartari saturatur, & phlegma exhalatur, reperitur post concretionem reale & naturale Nitrum flammam concipiens, & non terrea materia, quod sane mirum est, quod sal tartari fixum rodens cum spiritu nitri acerrimo & rodente, fiat nitrum frigidum & Anginae remedium.

Quadrat hoc loco illud scaligeri caeli materiam inquirens exercit: 61. ubi docet Materiam una ab alia diversam non esse, nisi per advenientem formam &c.

Idem sal tartari si saturatur cum spiritu salis fit acutissimus & lixissimus vix ab igne liquabilis. Sin vero sal tartari saturatur cum aceto distillato (quod insipidum per Alembicum descendit, etsi ex phiola colli longioris denuo istud acetum insipidum redestiletur, colligitur ex aceti phlegmate inflammabilis aqua vite (contra doctrinam Basilij valentini in curru Triumphali de Antimonio fol: 44. quod tanto destillatori vix connivendum puto) sub viridis coloris, quae procul dubio pridem sub aceto occultabatur, fitque deinceps manifesta, post extinctionem seminalis virtutis aceti beneficio salis tartari, reliquum est elementali aquae similis fit sal pingue facilis liquefactionis, hoc pingue sal, vulcani ope, ex retorta dat oleum inflammabile, flavi coloris & suavissimi saporis. Dudum mecum admiratus, quod acetum distillatum & sal tartari utrumque non Combustibilia, Conjunctis tamen distillando edunt oleum inflammabile, cujus causam tandem non sine ingenti delectatione, deprehendi.

Neque & hoc verum esse notavi, quod spiritus seu oleum vitrioli attactu mercurij degenerat in alumen, ut de lithiasi cap: 4. § 13. & Tract:

Blas:

Blas Humanum § 44. Alumen voco, quod habet saporem & aluminis proprietates, aqua vero abluta à mercurio fixato cum oleo vitrioli si coaguletur sapit oleum vitrioli Corrosivum estq; acutissimum & odorem ponticum prefeferens. Hæc & quam plurima alia, cum animi aversione ad nauseam usque examinavi, ubique perspexi quod in somnijs, citra experientiam, nimiam fidem adscripsit sed quid mirum? nonne præstantissimus Quercetanus quoque tot arcana promittit & in examine vix Alga reperitur? in ejus Tetrade docet fieri Elixir vitrioli, illique attribuit innumerabiles virtutes, quod & ego proprijs manibus incepit laborare, at eventus meo damno mihi docuit, quod neque Quercetanus, neque ullus mortalium id unquam viderunt. Idem Iudicium esto de essentia crany ad Epilepsiam in eodem Tractatu.

Quid non tentavi circa antimonium ex curru Triumphali Basilij Valentini, ubi à posteriori & multis impensis didici, hujus monachores & non verba esse Consideranda, videtur tamen scribere cum tanta caritate, ut vix millesimus advertat, quando jubet ex gr: accipere terram & intelligit aquam? ego profecto non video caritatem penes tot Autores. Idem monachus quomodo non occultat in additamento ad claves philosophicas sub titulo Antimonij ejus butiri destillationem? & inquit si ter rectificetur, curat carcinoma, lupum cum omnibus suis speciebus. Bone Deus quare permittis crudele facinus in miseros infirmos? non video, quomodo cancrorum ulcus sanari posset à tali corrosivo? quod priusquam per vivos musculos & ad radicem Cancrosi ulceris pertingeret, millies interficeret. Nihilominus monachus sibi nil nisi ipsa caritas videtur, quod satis Clare apparet, occultavit sub falsis nominibus quadam particularia medicamenta (istud contra calculum renum in manuali tropice descriptum optimum inquam plurimis calculosis expertus sum) quæ cum latent proximo indigenti valde proficiunt; interim tamen citatur Basilijus Valentinus presertim ab ijs, qui sapientissimi videri volunt, ego autem scio pro certo, si aliquis lapidem phylsophorum propria scientia & arte gravissima Hercuteoque labore perfecisset, non intelligeret, quid sub anigmate 12. clavium docere vellet (quis enim

enim audeat mentem praeceptorum philosophorum interpretari) neque minus quisquam fructum capere potest ex reliquis tractatulis nisi gaudeat vel delectetur imposturis, quod probat butirum vel oleum antimoniij. Istud butirum inquam nil aliud est quam Regulus per spiritus corrosivos, qui mercurium in salinam formam continebant solutus, nullum dissolvens mihi haecenus notum, quod Antimonium aequè dividere potest, quam mercurius sublimatus propter oleosum sulphur ex quo ipsum Antimonium constat, ea propter resistit antimonium omnibus spiritibus acidis, qui in sulphur propter ejus pinguedinem non agunt, resistit & oleosis solventibus, quatenus adhuc in minerali forma. Mixtum ergo cum sublimato mercurio & ex retorta caloris beneficio, distillatum corrosivus mercurius dissolvit Antimonium hujus sulphur, ratione acidi spiritus, qui per calorem in actum deducitur. combibit mercurium, relictis peregrinis corrosivis (quae illum antea in salis forma tenebantur) quae adoriuntur Antimonium purum, id est Regulum & guttatum descendunt ac in butiri formam concre-scunt sulphur autem junctus cum mercurio sublimatur invicem in veram cinnabarim, Cujus sulphur a mercurio per lixivium liberari potest eodem modo ut Crollius docet de lacte sulphuris.

Hac Antimoniij solutio per mercurium corrosivum forte Helmontium seduxit: qui cum animadvertibat quod Antimonium alias nullius fere solutionis, tam facile à mercurio domaretur, at ut est sanè in mercurio quicquid quaerunt sapientes: mox Credebat hac solutiva virtus a mercurio, procedere, non advertens quod pro adjumento habebat salia caustica & corrosiva.

Dixi butirum Antimoniij nihil aliud esse quam regulus dissolutus id claret ex affusione spiritus nitri, qui aciditatem plane in regulo antimoniij abscondit & fixatur cum ipso, ut vulgarem folium ignem sustinet, quem admodum & ejusdem butirum fixatum cum eodem spiritu nitri vel aqua forti, quatenus constat ex nitri spiritu, reliqui spiritus, ut sulphuris vitrioli vel salis negligit.

Tyrocinij scriptores hujus miraculi stupent, quod ex duobus corrosivis terra fixa & insipida generatur, & nesciunt, quod omne al-

ca.

cali Combibit, saturatur ac tandem fixatur cum suo acido ut supra demonstravi nihilominus extollunt in medicinae usum, praesertim si cum auro nobilitetur, Ego verò observavi quod Regulus fixatus cum spiritu nitri, vel Antimonium cum nitri substantia fixatum, vel demum huius butiri artificiosa preparatio & fixatio easdem obtinent virtutes medendo, nisi quod istud ex butiro fixatum carioris sit præter propter tædiosum laborem Monachi inventoris.

Ingenuus Crollius hinc inde Cumulavit processus & quicquid sibi rarum videbatur in fasciculum congescit, sine ulteriore examine, ut probat specificum illud Paracelsi nominatum in ejus preparatione docet salia scilicet Tartari & vitrioli, extracta cum distillato liquore, ex retorta pelli ignarus, quod si urgeatur fortiori gradu (minori non egreditur) ut plane in vitrum abit, juxta illud Gebri, vitrificantia cum vitrificantibus vitrificantur. Ita ejus Antimonij preparationes omnes, quamvis diversi mode sunt correcti, nihilominus sunt antimoniata ut & mercurij fixatio ibidem, quem Turbith minerale appellat, nec non ejusdem tædiosa sublimatio, quam perperam arcanum corallinum vocat easdem obtinent virtutes.

Quibus tandem Hartmannus sua crepundia nexuit non docendi gratia, sed ut in Crollium Commentaret atque cartam macularet. Quid enim stolidius somnari potuit unquam, quam cogitare laudanum somniferum ex mercurio vulgi? Titulo de mercurijs? item arcanum perlarium quod fieri promittit cum aceto ligni Quajaci ignorans, quod istud acetum, utut sepiissime sit rectificatum, in digestionem rubescit, ita & spiritus tartari rectificatus quoque in digestionem rubedinem induit, qui calor & mihi ante aliquot annos hallucinari fecit, distillavi nimirum vitriolum & cremorem tartari ana leni igne, ut phlegma saltem exsudaret, rectificato egresso liquore, cum corallis rubris & integris posui in teporem balnei & in 24. horis liquor apparebat tinctus rubini coloris, ponderavi deinde imposita corallia, & nihil a pristino pondere amiserunt hinc didici, quod liquor rubedinem contraxit simplici calore, quod deinceps verum animadverti & provenire a sale volatili sulphurei subjecti, dedici.

Idem

Idem iudicium esto de ejus Tincturis corallorum, sulphure vitrioli narcotico, vegetabilium arcanis & alijs quam plurimis ibidem congestis.

Quid Petrus Faber (Gallus) sub specioso titulo myrotecij chemicum non fabrefecit mirabilia, citra tamen notam ullius veritatis? misos facio philosophica ut Hercules piochimicus Alchimista Christianus &c. in quibus philosophorum lapide meo iudicio non indocte discurret (an sint propria ejus studia, vel alieni non inquirō satis quod concordant cum alijs classicis Autoribus) dico saltem de medicamentis ibidem citato libro prescriptis ut fol: 178. de preparatione & viribus essentiae vitrioli, quod sit Cardiacorum, Cephalicorum hepaticorum omnium medicamentum prestantissimum superans omnia sublunaria & (risum tenete) si hominem mori non oporteret è dicto divino in perpetuas aternitates posse trahere vitam hoc arcano affirmarem inquit Pudet me sane hisce in nugis morari, Vesania similis est, ex quo velle torqueri, quod non habet.

Observavi quod plerique omnes, qui de hac arte tractarunt (de reliquis professionibus tacebo, arbitrum non ago, quilibet autem veritatis Indagator in praxi suam reperiet difficultatem) proximi caritatem neglexerunt, & mera somnia posteris reliquerunt, sibi quaedam in cerebro distillarunt & cartis commiserunt, euntes in mundum universum sub spe, quod pauci sunt electi; qui hac & alia ad examen reclament, ita mendacia sunt introducta, & omnes Consecutive subscripserunt, antecedenti grege sequuntur, ut Seneca recte loquitur, & hac est causa quare Chimia a plerisque medicis spernitur, ut figmentum (quasi Medicina Galeni ubique vera foret, ait enim Veredarius Vir apprime doctus, licet, inquit, ut sit post Hippocratem bis mille annorum exercitata tamen nullus est qui revera ad unius individui temperamentum dignoscendum possit pervenire) ars deceptorica, & infinita alia encomia illi ab ignavis attributa. Adde quod à quam plurimis deceptoribus servisque fugitivis (quorum tamen maxima pars pro sapientissimis reputantur, eò quod

quod loquaculam linguam praeferunt, citra tamen ullam experientiam chemicam, memor, quod & Doctissimi ab his nebulonibus flocci facti fuere.) processus & recepta infinita circumferuntur ac imperitis pro magno pretio venduntur, sub titulo, Tinctura particularis, auri portabilis, pars cum parte, augmentum Luna, Luna fixa, transmutationum pulveres &c. quae omnia extra fundamentum lapidis philosophici mera figmenta & somnia esse verum deprehendi quorum inventiones dependent à praegressis ac falsis inventoribus, quos aliquando vivis coloribus depingam, difficultatem habuerunt omnes in repentino examine, citra jacturam temporis, quod compendium nullus horum indagavit. Fornacem nimirum Construxi in qua unico igne, omnes operationes simul & semel, quod quot unquam, non solum in tota chimia, verum etiam in reliquis omnibus artibus excogitari possunt ludendo perficiuntur. Ridiculum inquit Cels: Princ: attamen verum est (non est tamen furnus philosophicus a Glaubero noviter detectus) primum pro conficiendo spiritum salis, non laudo neque vitupero, mihi negotium non successit, Carbones sale communi soluto saturati, & in fornacem candentem ac prunis plenam injectos, suffocant ignem & priusquam spiritus salis elevatur ignis extinguatur, spernitque carbones sale soluto saturatos, de quinto tumida inanique bulla similis & de reliquis opportuno tempore) philosophi nempe nostris instrumentis furnis & alijs nugis jocularijs non indigent, ut illorum scripta & oracula, licet varijs tegumentis involuta palam testantur) sed ut dixi, vulcani est commodum domicilium, & ad omnes operationes sine tedio fumo vel carbonum nocivo foetore aptissimum, quem quandoque si mihi Deus vitam produxerit ex commiseratione veritatis studiosorum publici juris faciam, cum nonnullis regulis ex natura fundamento desumptis, quibus cum quemlibet processum primo intuitu examinari & verum à falso discerni possit, quibus adjungam censuram quorundam librorum chemicorum, cum compendiosa introductione in divinam hanc artem, sed haec obiter dixisse sufficiant. saltem apparet paucis hisce exemplis, quam Christiani fuerunt illi, qui sub specie veritatis falsa vendiderunt, toto mundo imposuerunt, totamque artem vi-

lipenderunt innumerabiles in arumnas, calamitates & extremas miserias præcipitarunt.

Doctissimus denique Helmont præmatura morte abreptus, scripta ejus tam indigesta si vixisset, certò non edidisset, ut apparet ex binis tractatibus imago mentis & alter imago Dei, sunt fere idem verba at eadem est sensus, taceam, quomodo posthuma hinc inde diminuta, mutilata, ac imperfecta prodierunt promisit libro de febris cap: 2. 39. Annulum contra Hemorrhoides, præparandi autem modus nullibi reperitur, ob causam ante dictam nam sibi persuasit ante libri publicationem continua sublimatione mercurium tandem in aqueam formam reducere (hanc credidit aquam-ignis esse, quo cum cremant Adepti, sola metalla perfectæ & non omne corpus visibile ut ait) cujus virtutes quas obtinere deberet, speculative in factò esse descripsit, sub spe & credulitate hac ita necessario succedere debere. Hanc ob causam dixit filio (in ejus præfatione) cape omnia mea scripta tam cruda quam correctæ, eaque conjunge & ad arbitrium tuum peragito, quasi volebat dicere, fili; scito quod mea scripta sunt imperfecta, quare tua cura nunc ea Committo, a posteris autem excusatum me volo, perficere non potui inceptum opus imperfectus liquor sit adhuc ut ajunt heredes) ut mercurium in liquorem quem alcabest putavi converterem, cum quo omne corpus tangibile volebam retexere in primam sui materiam, aurumque reduci in sui principia, ut reconjunctis ex inde prodiret optatus ille philosophorum lapis. Hæc se ita opinatus est non advertens quod Trevisanus in Epistola ad Thomam de Bononia fere in fine, si recte memini, penultima pagina inquit quam primum mercurius in aqueam substantiam vel aliam formam sit conversus non amplius idoneus esse pro opere phylosophico. In casum ergo laboravit studiosissimus Helmont, inquirendo liquorem ex mercurio, quem nullus phylosophorum vel vidit vel habuit unquam cui enim in principijs errare contingit, finem assequi vix poterit.

Franciscus Mercurius qui edidit posthuma patris per integrum mensem Venetijs quam familiariter mecum vixit, is alter papirius mi-

mi-

mibi videbatur, nusquam de tot nominato liquore quicquam prolo-
qui volebat, aliquando in discursu sermonem de hoc institui, quoties
autem feci, toties illum succensus notavi, Interim omnem movebat
lapidem, ut detegerem modum (plane admirandum) fixandi salem vi-
perinum, cum retentione incorruptibilis balsami: quo beneficio sordes
abstergit, ac indigestibilis per diaphoresin transit, quæ purgatio ju-
xta Hippocrati omnium optima judicatur &c. Docuit vero opij præ-
parationem cum succo cydoniorum dicens hæc præparatio easdem ob-
tinere virtutes cum ea quæ fieret per alcabest & medicum fœlicem
prædicabat, qui opium ita præparet, ego autem post hanc opij præpara-
tionem eadem fœlicitati fruor qua ante, nec aliam imò minorem vir-
tutem ab ejus exhibitione deprehendi, quam ex mea solita & sim-
plici correctione.

Modus componendi Annulum ad Hemorrhoides & ad ute-
ri suffocationem de quo supra dixit esse si clavus ferreus Equo ma-
sculo per solidas ungulas transfoderetur eo modo, ut partem vitalem
modicum attingeret, extracto clavo, ita formari & ita digito aptari
deberet, ut laxior vel strictior fieri pro necessitate posset, & quo ar-
ctior digito inhareret, eo promptior & sanatio fore ajebat, cavendo in
ignem amitteret virtutes quas innumerabiles esse dixit. Ego profecto
nullam virtutem tam in suffocatione matricis quam in hemorrhoi-
dum doloribus ab hoc annulo percepi, ingenue fateor, licet diversis
tam feminis quam viris, strictissime cum magna industria, alligavi
non fui contentus primo experimento, redij ad equum fixique cla-
vum, ut plus vitali partis attingeret, nihilominus annuli speratam
virtutem simul cum equo claudicare notavi.

Docuit & præparationem Emplastri ad Quartanam cujus me-
minit libro de febribus cap: 15. § 12. & in appendice § ultimo, quod
ex infusione herbæ Tabaci cum vino albo, ex presso & recoagulato
cum melle fieri deberet, hoc non solum quartanam, sed quamplurimas
febres demere affirmabat, apposui circa splenis regionem, firmavi cum
fascijs, quia difficile adhaeret, sed fructum nullum ex multiplici repetiti-
one percepi.

*Instabam precibus, ut aperiret, an sulphur veneris pro basi lapidis Butleri, alio modo quam cum liquore alcahest fieri posset? Ex minera vitrioli, inquit sublimari cum sale armoniaco debet & postea re-
ctificari cum spiritu vini ultimo ex retorta egreditur in forma olei, hoc esse verum sulphur phylosophorum & pauca verba mihi modo sufficerent ajebat. Dic sodes; inquam, quid tergiversaris? Hoc sulphur inquit, fit cum sale vitrioli optime purgato lege artis smegma, quod deinde sapo Phylosophorum appellatur, hic debet mori per corruptionem cum Arsenico semel sublimato (hoc enim necari omnes spiritus tam minerales, animales quam vegetabiles addebat) tunc dicta tria post mortem resurgere gloriosior & multo perfectior & per gradus ignis studio & cum magno ingenio fixantur in lapidem phylosophorum Constante affirmabat.*

Tunc Cognovi simplicitatem mercurij tam Animalis quam mineralis subridens dixi in corde meo cum Alchimista apud sendivogium in dialogo de mercurio non frustra de te dicunt quod mirabilis es & inconstans ac Volatilis.

Nihilominus Amico quodam meo Noriberga retulit, quod mihi mysterium magnum ac arcanum omnium aperuisset, se tamen nescire, utrum ad id perficiendum aptus essem profecto neque spiritus, qui artium artifex judicatur ex omnibus istis quae mihi pro arcanis (ut ajebat) aperuit nil quicquam utilitatis perfeci posset, optime tamen difficultatem movit mea industria erga amicum (sibi enim conscia mens, quod mihi procul dubio non doctissimi patris experimenta sed falsa dictasset) ut tandem aliquando excusaretur.

Interim ex his quae hic Conscripta vides facile Iudicabis Serenissime Celsissimeque Princeps Domine Clementissime, quid & qualis sit nominatus liquor quem juxta Helmontij opinionem plane non ens demonstravi, attamen hinc inde per ora vulgi traducitur, & quilibet sibi somniat subjectum ex quo hunc facili methodo erui existimat, ego hos omnes missos facio, nam trahit sua quemque voluptas. Desino: meque gratiose Clementiae Cel: Ves; quam haecenus satis sum

ex.

expertus tutelarique patricinio Commendo & recomendo. Dabantur
 Venetys die 18 mensis Ianuarij Anno salutis millesimo sexcentesimo
 quinquagesimo secundo. e Museo

V. C.

Subjectissimus
 Tackeri.

Quum verò publica scripta sine debitis elogijs rarò emittantur, visum est etiam nonnullis, me & eruditione & dignitate longè superioribus, Tackenianæ Epistolæ addere aliquod, sed non aliud, nisi quod fortè crebatur. Quod Tu mihi quidem impingis, sed toto cœlo erras. Nego enim & iterum nego, imò pernego, me illius appendicis esse autorem, cum, ut jam jam dixi, longè agnoscat superiores. Interim ex illorum sententiâ, si audire placet, ostendam liquidò, injuriam adèò magnam tibi non esse factam, certè non tantam, ob quam tam horribilia, ab omni etiam verisimilitudine alienissima convitia in me ejaculari debueras. Quid quæso aliud addi potuisset? Æqui enim boniq; viri demum est, ea quæ cuiq; rei competunt, tribuere neque majora, neque minora. Ius enim in æqualitate consistit, ut ait Aristoteles. (lib. 5. Ethic. c. 6.) Quoniam autem & injustus inequalis & injuria inequalis est, medium quoddam esse inequalis perspicuum est. Id autem est æquale: In quacunque enim actione est plus & minus, in eadem esse inæquale necesse est. Si igitur injuria est inequalis, jus est æquale. Rei verò, quæ vituperabilis est, tribuere laudem, est tam in vitio, quàm eam, quæ ex se & suâ naturâ laudabilis est, reprehendere. Utrobique enim id, quod debetur, rei non tribuitur. Quod adversâ fronte & collatis quasi signis cum justitiâ pugnare antè Stagirites nos docuit. Quapropter elogium quum rei subjectæ esset accommodandum, non

C 3.

pote-

poterāt per naturam rei aliter concipi, quàm quibus verbis fuit perscriptum. Primùm enim verissimè fuit subjectum; *Divulgatum, seriâ atque anxîâ tuâ voluntate, id jam est ô Tackeni! Atqui isthoc nunc edito, viso, lecto, cave sis, ô Lector, ut dicas: Philosophus mansisses, si tacuisses Tackeni.*

Seriam enim & anxiam tuam voluntatem fuisse, ut Epistola tua ederetur, negare ipse non potes, nisi literas, quas manu tuâ ad paulò antè dicti Principis Ministrum scripsisti, abjuraveris, in quibus tibi satis non fuit semel id enixè petere; sed preces illas iterasti: Verba tua hæc sunt: *Et nisi adversum fuerit Principi optimo, poterit Epistola hæc Typographorum vobis vicinorum (quorum copia suppetet) operâ edi in publicum, interea temporis & donec impressæ illæ meæ chartæ huc advolaverint, sine dubio, distracta per nostrates Typographos erunt residua Exemplaria Helmontina, de quibus antè dixi.* Rursus in appendice: *Iterum Vale, certiozem me factururus, an Princeps consenserit in editionem hujus mei scripti?* Aude negare; en ad publicum Serenissimi Ducis, & jurati ipsius ministri, ad quem eam misisti, testimonium, provoco, quibus cogaris stare, nisi omnia vincula, quibus humana societas continetur, dirumpere velis; quæ tamen à supremis Majestatibus civilibus ad defendendam petulantiam nunquam laxabuntur.

Et ut plenis oculis hoc videas, addam præter dicta & plura alia evidentissima hujus rei indicia, Serenissimi Ducis Holsatiæ Regentis, Domini mei clementissimi, Literas dehortatorias ad Nobilissimum Dominum Moltichium datas: quarum verò vel authoritate vel monitis tu quidem à semel incepto, innato quasi atq; consveto, isto tuo calumniandi artificio ac opere adeò non deterreri te passus es, ut potiùs multò impatientior inde factus, & tantùm non ad caninam lupinam, leoninam aut draconinam rabiem redactus fuisse videaris, Literarum, latinè redditarum, tenor hic est;

(Lit,

(Lit. C.) Copia Literarum principum, Italiam
versus missarum.

*Fridericus Dei gratiâ, Heres Norvvegiae,
Dux Slesvici Holsatia.*

Salutem & Clementiam nostram, singulariter Nobis dile-
cte ac fidelis, Consiliarie. De D. Ottone Tackenio, quæ cum
debitâ submissione nobis relata sunt, tibi non potuimus non his-
ce significare: quippe qui non veretur quorundam ministrorum
nostrorum, interq; eos præcipuè D. Helvici Dieterici, famam
atque existimationem illibatam variis calumniis injuriosisq;
chartis sugillare; eâ maximè de causâ, quòd illius huc trans-
missæ literæ de Alcahest publici juris sint factæ. Verùm, cum
non appareat, quâ de causâ tam molestè ferat istarum edi-
tionem, quam ipse per literas suas, uti clarè ex ijs constat,
sæpè expetijt; inclementi animo illius minimè licitum proposi-
tū accepimus, non intermissuri, ministros nostros justâ in causâ
tueri ac defendere. Interea loci tibi hoc demandamus, ut cer-
to quodam in loco D. Tackenium convenias, aut si fortè il-
le nimis distitus sit, per literas illicita illius ausa illi propo-
nas, & admoneas hominem, ne pergat vel publicè vel pri-
vatim ita calumniari ac maledicere: adhibitâ comminatio-
ne, nî desinat; Nos alijs medijs, ipsi fortè minùs proficuis,
contra illum usuros. Hâc in re implebitur clementissima no-
stra voluntas, quâ ipsâ & Nos tibi manemus clementissi-
mè addicti. Dabantur in arce nostrâ Gottorpij, die 25. Octob.
Anno 1652.

Fridericus.

In.

Inscriptio.

Honesto, nostro Consiliario, & dilectissimi Filij nostri Aula-Magistro, singulariter Nobis dilecto ac fidei, Levino Nicolao à Moltichen.

Quid jam hinc peccatum est? quid commissum? quæ injuria tibi facta? ipse, quæso, eloquere. Facere id, quod quis iteratis precibus flagitat, nulla est injuria: Volenti enim injuriam inferri non posse, omnes consentiunt. Omnis enim injuria contra voluntatem patientis est. Lege, quæso *cap. 11. Lib. 5. Ethic. Nicomach.* Aristotelis summi Philosophi, qui Te solidè docebit: Egregiè ait: *An fortasse non recta definitio est; Sed, cum dicimus ledere esse scientem, & quem & quod, & quomodo addendum est, præter illius Voluntatem, qui leditur. Leditur igitur sponte aliquis atque injusta patitur; nullus tamen est qui injuriâ sponte afficiatur, quippe cum id velit nemo.* Sis itaque læsus; perierit publicatione tuæ Epistolæ tua, quam habuisti, autoritas, cui imputabis, nisi tibi ipsi, qui sic voluisti? Si jam facere id quod petis, licet ex eo detrimentum aliquod capias, non est injuria; quomodo dicere, id esse factum, quod petisti, ullâ ratione non interpretari, sed torquere potes in injuriam? Verùm tam stupidum, aut tam malum te non credo, ut hoc quidem dixeris; sed illud fortè te mordebit, quod adjunctum est; *Atqui isthoc nunc edito, lecto, cave sis, ô Lector, ut dicas:*

Philosophus mansisses, si tacuisses TACKENI!

TACENUS si esses, tacuisses fortè; sed quia TACKENUS es, garrere tuam ineptiam & ignorantiam, aliorum verò aptitudinem atque scientiam Theonino tuo dente rodere, digitoque ineptissimo tangere maluisti. Quid verius his dici potuisset? ut vetustate hoc dictum eminet, ita profectò veritate. In te verò

om.

omnium optimè convenit. Collegeras enim tibi, apud illòs præsertim, qui Te vel de facie non nòrant, vel studia & vitam tuam antea actam ignorabant; aliquam eruditionis opinionem vel gradu Doctorali, vel medendi ratione, quæcunque demum fuerit, vel ipso etiam errore famæ, ut plerumque fieri solet. Qui enim à totâ Academiâ & iudicio Facultatis alicujus, quæcunque demum sit, publico illo virtutis & eruditionis testimonio ornatur, is non potest non aliquam dotium sibi conciliare opinionem. Neque enim vero simile, neque etiam sine injuriâ de tot viris bonis & doctis, imò integro collegio credibile est, homini, qui prorsus sit rudis & omnis culturæ, quæ morum, quæ animi, expers, communi suffragio decerni illos honores, qui non nisi bonis & doctis ob virtutem & eruditionem conferri solent, certè debent. Quamvis verò seculi vitium neminem paulò prudentiorem fugiat, *multos accipere pecuniam*, ut æterno opprobriò illustris hujus gradûs natum proverbium habet, & *asinus mittere in Germaniam*; tamen fraus illa, quæ à multis committitur, facile occultari potest, unico illo præcepto observato, scilicet, si perpetuum sibi indicunt silentium, ne inconsideratâ loquelâ suam prodant ignorantiam. Absit verò in æternum, hæc maculâ omnes aspergere. Sunt enim homines recti æquique tenaces, literarum & veræ eruditionis amantes, quibus religio sit, sancta illa præmia optimo instituto ad illustrandam studiorum dignitatem à veteribus inventa & sancita, promiscuè dilargiri & profundere, & quæ ad splendorem literarum publicâ autoritate introducta, turpi quæstu & exiguo lucello quibusvis vomice seculi opprobriis nundinari & vendere. Quamvis negandum non sit, multos variis artibus viris non malis obrepere, & gradum quasi emendicare aut precariò impetrare; quo postea superibunt, & ruditatem, quâ mirum quantum nocent, hoc pallio velare solent. Ego verò de honore

nore illorum, qui Te, Tackeni, crearunt Doctorem, solennissimè protestor, quorum iudicium in honoribus tibi decernendis neutiquam impugno, neque ullam tibi etiam quæstionem statûs moveo, sed doleo potiùs, Te illius opinione, in quâ tutus saltim tacendo permanere potuisses, tam incautè privasse. Tituli, quibus in possessionem ivisti, sic satis speciosi sunt; neque tibi, modò quievisses, à quoquam in dubium vocabantur. Nunc verò ubi his non contentus, terminos tuos latiùs propagare studes, & ea aggredieris, quæ non nisi solidè doctorem sunt, fieri certè aliter non potuit, quin eam ignorantiam, eam ruditatem, quam hætenus silentio occultare potuisses, voce & calamo publicè prodideris. Quis enim adeò stupidus, adeò omnis eruditionis expers, adeò ab omni iudicio relictus, ut Te autorem illius Epistolæ, quam paulò antè integram dedi, agnoscat virum solidè doctum? Cogita quæso ipse, quàm gravia sint vitia tuæ Epistolæ? Grammaticorum pueri, qui vix cum Donato familiaritatem contraxerunt, in commilitonibus ea vident. Quàm foedè peccas in Orthographiæ præcepta? Quàm turpiter in regulas generales & speciales de Nominum Generibus? quàm miserè impingis in regulas Syntaxeos? quàm horrida affers vocabula auribus eruditis sanè molestissima? quàm hiulca est tota tua dictio? quàm confusa interpungendi ratio? sed ne de solis Grammaticalibus dicere videar, quàm inefficax est argumentandi ratio? quàm elumbes & ficulneæ tuæ consequentiæ? Si in formam redigerentur tuæ ratiunculæ, qualia monstra essent futura? Quæ fundamenta tua Physica? Num talia docto viro conveniunt? ipse quæso ediscere. Num adeò injurius es in nobilem nostram artem, quam veteres ob dignitatem à Dijs immortalibus originem ducere commentati sunt, ut eam barbariei damnare & hiulco sermonis genere conspurcare velis? Nunquam patientur hoc inultum

tum

tum *Xαίρειντες* illi Medicorum filij, qui fundamenta eruditionis ab arte nunquam sejunxerunt.

Ego, ne diutiùs tecum agam, totum orbem terrarum Iudicem inclamo, quo sedente hæc causa disceptabitur; annon is homo, qui inter eruditos haberi vult (quod tu anxie desiderasti, & ipsis Doctoralibus honoribus, quos ambiisti, professus es) omnem, quam de se opinionem concitavit eruditionis, amittat publicatione ejusmodi Epistolæ? Nemo est doctiorum, neque erit unquam, aut esse potest, qui hoc non dixerit. Iam ipse judica, & conscientiam tuam interroga; quid injuriæ hæc in parte tibi sit illatum? Tempore saltem aliorum judicia, elogium, ab aliis me longè præstantioribus additum, prævenit. Omnes enim quotquot id legissent, confestim idem fuissent planè dicturi. Dicere verò id, quod omnes sunt dicturi, neque aliter possunt per rei naturam, ecquid est injuriæ? Si porco torques indantur, ut cum Platone loquar; si asinus veste auro gemmisq; distinctâ ornetur, fucum illum is vel unico grunntu, hic verò rugitu statim prodet. Ita homo indoctus, licet titulo ornetur admodum honorifico, statione præterea splendidâ honoretur, quàm primùm tamen ea peragere incipit, quæ non nisi illorum propria sunt, qui verè ejusmodi honoribus gaudent, fraus pellucet, & ignorantia detegitur. Quapropter quod omnes Veteres dixerunt, & in ore omnium hodiènum est, nempe; *Philosophus mansisses, si tacuisses*; id Tu autoribus appendicis vitio vertere, aut injuriam appellare non potes. Nisi id fortè, quòd *ineptiam & ignorantiam tuam* soricis instar tuâmet voce & calamo prodidisse scripserint. Quod negare jam ipse non potes. Quis enim illum non pro inepto & ignorante habuerit, qui ejusmodi puerilia vitia chartis illinere non erubescit? Interroga, quæso, omnes eruditos, perquire eorum sententias, & vota collige, videbis, num homines docti illam e-

Epistolam agnoscent? Quapropter hac in parte nihil præter
ius fasque factum esse, nemo non confitebitur.

Quo ipso etiam facile defendi potest, quod statim se-
quitur: *Nomen tuum verum esse, cetera omnia falsa.* Est enim tam
clara hæc assertio, ut à nemine mortalium, qui quidem ce-
rebrum non in calcaneo gestat, in dubium vocari possit. Ne
verò credideris, Tackeni, Autores appendicis saltem Gram-
maticalia observasse, & Philosophica præterisse; adeoque
ea tacito consensu quasi approbasse, en ad omnia Philoso-
phorum judicia provocant, ad quorum tribunale te remit-
tunt; si illi rem omnem, Philosopho dignam in Epistolâ tuâ
judicarint, victoriam reportabis, quam ego tibi non invide-
bo. De *Scholâ & Academiâ*, in quibus literas saltem & Philoso-
phiam nedum Medicam artem coluisti, etiamnum incerti
sumus. Quam scholam tu Classicam salvâ conscientiam nomi-
nare, aut publicum ejus testimonium producere potes, in
quâ prima eruditionis tuæ fundamenta posuisti? Quam
scholam Regiam sive Academiam, in quâ Philosophiæ na-
turalis præsertim, Medico summoperè necessaria, studio es
operatus? Quam verò, in quâ ipsi Medicæ arti, ejus Te Do-
ctorem profiteris, incubuisti, aut ullum ejus edidisti speci-
men? *Patriam* tuam nuper me docuit Excellentissimus Do-
minus Rotgerus Timplerus Medicinæ Doctor, ejusdemque
in inclutâ nunc Rintelanâ Professor, antiquus tuus herus. Is
de patriâ, educatione, studiis & actionibus tuis, in literis suis
Lemgoviâ XXX. Julij anno CIO IXC LIII. ad me Ham-
burgum missis, ita scribit:

(Lit. D.) *Nobilis Clarissime & Excellentissime Vir,*
Domine & amice plur. honorande.

Literas E. F. Vildungæ 24. Julij Anno 1653. exaratas ab amiti-
no meo dilecto unâ cum Ottonis Tackeni deliquore Alcahest in-
doctâ & ineptâ Epistolâ 29. ejusdem mensis accepi, oblationemque
nova

nova amicitia, quã mihi nil prius, duabus ulnis accepi, & deesse
 boni viri officio duxi, si æquissima petitioni, quomodo hic Tacke-
 nius in meo servitio se gesserit, propter communia studia candi-
 de, ut candidum decet, non revelarem. Patre natus molitore Abba-
 tiffæ quondam Hervordiensis, de matris origine nil innotuit; quo
 verò mortis genere parentes vivere desierint, patriæ Magistratus,
 E. T. id petentẽ, testari non abnuet. Caterum hic Lemgovia penes
 hujus loci Pharmacopœum nomine Davidem Velmannum artis
 pharmaceutica jecit fundamenta; quomodo verò in artis primor-
 dijs, & quã fidelitate vitam traduxerit, fastius diceret, si jurato in-
 terrogaretur antiquus herus. Hinc me accessit, sed oblatã sat lautã
 conditione ita functus, ut homini ob sæpius iterata facinora & sce-
 lera, ac tandem in ipso furto deprehenso, tanquam pessimo diaboli
 singulari organo, & faci sceleratissimorum nebulonum inquinatis-
 sima, facie & domo interdixerim. Potuissem quidem aliã viã pro-
 cessisse, & ad supplicium nebulonem traxisse, ni indecorum judi-
 cassẽ, cum tam perfido scelerato diutiùs agere, diutiùs vivere.
 Nec, quòd flagitta neget, hic nebulo inveniet; habet E. T. confiten-
 tem reum, ut ex ipsius Epistolã (cujus copiam cum usitatã & fami-
 liari ipsi Orthographiã, omnibus ad amussim observatis, sicut in o-
 riginali, quod asservo, videre est, transmitto) legere cognoscere &
 dyjudicare poterit. Ob quæ commissa furta & scelera hunc homi-
 nem non solum indignum judicari responso, cum ceteris flagitijs
 in Epistola sua principio, mendacium hoc addere & affirmare non
 erubuerit, à me ipsi commissa gravia peccata perdonata, quod ta-
 men Epistola contextus integer falsum convincit, cum tam
 anxie remissionem efflagitet, quã non opus, si obtinisset se-
 mel, sed etiamnum indignum prorsus omni bonorum commercio
 & literatorum conversatione & responso. Et mirari non sa-
 tis possum hominis in literis malè & vix in Gymnasio quodam,
 in Academiis ante ingressum Italia nunquam versati, animo per-
 versi, judicio, ut ex Epistolã de Alcahest elucet, destituti, impu-
 den-

dentem temeritatem, & temerariam impudentiam, qui de luminibus maximis, Philosophis absolutis, Medicis celeberrimis, & de Republ. literariâ bene meritis non judicare solum, sed inscitia & seductionis eosdem accusare, animum induxerit. Impudentia scilicet non habet frontem, nec inscitia iudicium. Familiare nequissimo hoc hominum generi: Calumniare audacter, semper aliquid haret. Sed *μωπεῑδου* facile est cuivis, *δύρυν*que *μωπεῑδου*,

Quaque sequi nescit, carpere quisque potest.

Quibus finio, ne Epistola fines transgrediar. Vale Amicorum decus, & Timplerum ut capisti amare, nunquam desine, qui erit

Excell: Tuæ

ad quævis officiorum genera semper
paratissimus

Rotgerus Timplerus D.

Lemgovia 30. Iulij Anno 1653.

Inscriptio.

Viro Nobili CL. mo Exc. mo Dno Helvico Dieterico Medicina Doctori & Practico celeberrimo, Serenissimi Electoris Brandenburgici ordinario Archiatro, Fautori & Amico suo plurimum honorando.

Hamburgum.

Verum esse, Te illa, quorum in literis prioribus fit mentio, commisisse, in Tuis literis, quas Dantisco die XVIII. Febr. stylo novo anno CIO IOC XL. ad paulò antè laudatum Dn. D. Timplerum exarasti Linguâ Teutonicâ, disertissimis verbis fateris, dum per Deum immortalem veniam illorum criminum enixissimè & pluribus verbis petis. Literæ ita habent.

(Lit.

(Lit. E.) Exemplum literarum deprecatoriarum
 Ottonis Tackeni
 ad

Dn. D. Rotgerum Timplerum
 latinè redditarum.

Amplissime Excellentissime Vir, Dn. D. Venerande. Non dubito quin Exca. T. in recente adhuc sit memoriâ, quòd integro ab hinc anno eidem à servitiis fuerim, sed officio meo ita, uti par & conveniens erat, non fuerim persunctus. Quòd equidem nunc, ubi rem rectius mecum reputare valeo, ex animo doleo, imò Deum creatore mihi metuo, nec oculos in cœlum attollere audeo. Quapropter, quòd discedens pollicebar, Exc. T. non possum non denuò suggerere & precari, ut misero mihi atque indigno, qui corrigias solvat (ut de Christo Iohannes testatur) admissum scelus & crimen benignè condonare, nec unquam ejus rei erga ullum mortalium mentionem facere velit. Hoc, ut iterum deprecarer, assiduis mala conscientie stimulis nocte dieq; & sine remissione agitatus & coactus sum. Imò quòd mihi ne per horam quidem liceat esse quieto, ita oculis meis Dni Doctoris Evestrum (ita scripsit; quid verò sit, fateor me non intelligere) semper obversari video. Va tanta miseria! Va va commissi flagitij, peccati & criminis! Verùm eheu juvenem me miserum! qui tum temporis, quòd nunc experior, mente meâ omninò privatus, fallaciter & dolosè seduci me passus sum. Quòd verò deceptorum meorum nomina nunc prætermittam, ut Exc. T. ignoscere mihi velit, peto. Sufficiat, culpam atque dedecus in me miserum solum redundare. Idcirco iterum tot milies propter Deum oro atque obtestor, quot arena grana tellus inter Gedanum & Bremam continet, ut Exc. T. per acerbam Filij Dei passionem & mortem, quam pro nobis omnibus pertulit, delicto veniam dare mihiq; remittere, & omnia apud illos, quibus cognitus sum, in meliorem partem interpretari velit. Plurimum colende Dn. D. non possum literis satis exprimere, quàm assidua fluant ex oculis meis lacry-

crij.

crjma. Quòd si hæc mea litera omnes & singula linguarum officio
 fungerentur, certè non sufficerent, quæ meam tristitiam atque ex hac
 calamitate o. tam lamentationem eloquerentur. Nec unquam in po-
 sterum alacri animo esse potero, nisi mihi de remissione impetratâ
 constiterit, meq; Dn. D. epistolâ aliquâ consolatoriâ erexerit. Aliàs
 per omnem vitam omnium mortalium ero miserimus & afflictis-
 simus. Cujus vicem Dn. D. dolere, me miserum, delictum confi-
 tentem deq; eo ferio dolentem, in hac miseriâ, mœrore & calamitate
 per eundem sublevare velit. Hujus culpa veniam apud Dn. D. per
 Deum Opt. M. iterum atque iterum deprecari volui; certâ spe fre-
 tus, Exc. T. obtestationibus meis locum daturam. Quod omninò fu-
 turum certò confido. Plurimum dilectè Dn. Doctor, DELLS, quem
 testor, novit, quàm vellem pluribus verbis deprecationem instituere,
 sed quasi carduis & spinis insideo, quod ipsum Dn. Doctori ex vacil-
 lantibus literis conjectu haud erit difficile. Ego tamen salutari inte-
 rim spe vivo, gratam eam sibi fore & acceptam, & Homeri illud
 prolaturum: Ut desint vires tamen est laudanda voluntas. Paulò
 post: Cum à Dn. Doctore Bremâ discederem, conditionem aliquam
 accepi Chilonij, apud Dn. Ioh. Braun ibidem Pharmacopólam & c:
 Hisce Dn. D. cum uxere & totâ familiâ divinæ protectioni commen-
 datum volo. Festinanter dabam Dantisci die XVIII. Febr. Styl. nov.
 Anno M. DC. XL. Benevolè rogo, quòd si Exc. T. respondere meis vo-
 luerit, in inscriptione notet, ut litera in ædes Jacobi Scheppen, Chirur-
 gi in latâ viâ habitantis, inferantur, ubi à Postâ, ut vocant, Magistro
 ad me transmittentur,

Vester

à servitio

Otto Tackenius man. propr.

ECquid opus erat tam devotis tam diligentibus tamque
 iteratis precibus, si vitæ fuisses integer scelerumque pu-
 rus? Interroga tuam conscientiam, si quam habes,
 quid

quid his literis tuâ manu scriptis reponere queas? In memoriam, quæso, revoca, Johannem Braunium Chiloniensem; Officinam Pharmaceuticam Rudolphinam Dantiscanam; Jacobum Scheppium Chirurgum ibidem; Agyrtæ cujusdam Dantiscani viduam; Pastorem Fitchufianum in Bilavia Porusliæ; Clementem Poltzen Regiomontanum; Pharmacopolam Kaviæ Lithuaniae oppidi; iterumque Pharmacopolam Regiæ Majestatis Poloniae, in quem Vildæ, quæ Metropolis est Lithuaniae, incidisti, qui Te Varsoviam, antequam ipse eò contenderet, præmisit? Excute, quæso, omnes conscientiae tuæ loculos, rimare omnes ejus recessus, perquire omnia ejus penetralia, quâ ratione Te ibi gesseris? Nolo ea, de quibus aliâs hinc inde satis constat, in publicum propalare, ut reapse sentias, me, utpote Christianum, convitia convitiis nullo modo velle rependere. Tu quidem ea, Tackeni, chartis, quas *Apologiam* vocas, (cujus verò corporis faciei parùm speciosæ deformia reliqua membra tam affabre respondent, quàm si *Humano capiti cervicem pictor Equinam junxerit, & reliquum formet mala vipera truncum*), in mei nominis detractionem, illevisti, quæ ne quidem vero sunt similia; ast ego ea, quæ verissima sunt, & juratis testimoniis probari possunt, in apricum nolo producere. *In nonnullis enim, ait prudentissimè Iustinus (L. 2. c. 2.) ad studium Virtutis, plus proficit vitiorum ignoratio, quàm cognitio virtutis.* Cæterùm D. D. Teuberus Serenissimæ Imperatricis Archiater, cum quo Varsoviæ antehac egi; & D. D. Managetta, Ordinum inferioris Austriae Proto-Medicus & Professor Viennensium primarius celeberrimus, Vir ut doctissimus ita candidissimus, cujus eruditionem & liberalitatem Viennæ non ita nuper ipse admiratus & expertus sum; quibus tu item serviisti, in viciniâ ferè sunt, à quibus testimonium Vitæ, quam apud illos exegisti, petere poteris? Si tibi bene conscius es, cur

E

lu.

lucem fugies? cur ad te defendendum, illorum testimonia non implorabis? Quàm egregium verò socium vitæ Romæ habueris, tute ipse omnium optimè nosti, quem scilicet summus Pontifex ob Atheismum (ex famâ hæc habeo) in custodiam conjici curasse dicitur, à quo fortè eundem hausisti, nisi (quod potius reor) execrandâ illâ αθεότητι vel impietate jam antè fueris imbutus. Malum certè, si quod aliud, non Religioni & Reipublicæ tantùm, sed ipsi etiam Societati humanæ pessimum & internecinum. Nullum enim vinculum firmitus, nullum sanctius, nullum religiosius, ad continendam mortalium vitam societatemq; quàm credere Numen, quod post hanc vitam bonos æternis præmiis, & malos contrà nunquam defuturis suppliciis sit affecturum. Rectè Tullius: (*lib. 1. Off.*) *Pietate sublata fides etiam & societas humani generis & una excellentissima virtus iustitia tollitur.* Quapropter apud divinum Platonem passim Numinis cultus aut religio, propugnaculum potestatis, legum & honestæ disciplinæ vinculum dici meruit. Quam sententiam multò post prudentissimus Plutarchus (*in lib. de virtute*) iisdem ferè verbis expressit, dum eam συνεκτικὸν ἀπάντης κοινῆς καὶ νομοθετικῆς ἐπισημαί; *coagulum omnis societatis & fundamentum legislationis appellare voluit.* Imò facilius urbem sine solo, quàm Rempublicam sine opinione de Diis aut constitui posse, alibi profitetur, aut constitutam servari. Nec aliud volunt divina Oracula; (*Rom. 3. Prov. 20.*) *Majestatem Dei Ministram esse, ad iram ei, qui fecerit malum. Regem omne vindicare malum. Omnem animam subjici summis potestatibus.* Quod quidem sanctissimum vinculum Tu sive contemnere, sive dirumpere omni nisu conaris, dum non vereris, audientibus Principibus & Iuvenibus Nobilibus Germanis (quos testes habeo locupletissimos) perniciosos hos eructare sermones; *nullum esse demonem; nullum infernum; nullum post hanc vitam malorum supplicium; Clericorum has esse nugas, & deliramenta;* quibus

plebs

plebs in officio contineri & ipsi bene vivere possint, *etatem*
in deliciis & scortationibus esse agendam; ad quas etiam juve-
 nes haud ratò pellicere perhiberis. Quod juratis multorum
 Germanorum, honestissimorum hominum, testimoniis, qui
 Te tuasque artes norunt, tibi probare in proclivi est. Hæc
 fuere tua studia; hæc tuæ vitæ ratio! Ex his jam ipse judica
 de Scholis & Academiis, in quibus literis operam dedisse vi-
 deris, num quicquam in appendice sit scriptum, quod veri-
 tati non sit consentaneum. Ex eo quidem ne nomen tu-
 um fando accepi, nec etiam, an adhuc in rerum naturâ age-
 res, unquam scivi, aut scire volui, nisi quòd Chilonii Anno
 M DC LII, ex nonnullis didicerim, Te Patavi Doctorem
 Medicinæ esse creatum, & *sal viperarum* in magnâ copiâ ven-
 dere. Quod utprimùm Hamburgi mihi à Suecico quodam
 ministro exhibitum, & quid de eo sentirem, rogabar, Sal
 cornu cervi volatile mihi fuit visum, mixtum tamen cum sa-
 le ejusdem fixo. Post ab aliis quoque magni nominis fa-
 mæque viris & *sal* aliquod nomine *viperini*, diversis in vitris
 eundem in finem ostensum, jam illi, quod modò dixi; jam
 floribus salis armoniaci, jam sali urinæ volatili & fixo per-
 mixtis; jam Tartari sali cum aceto, in crucibulo vel lebete
 ferreo calcinato tam simile erat, quàm ovum ovo. Nec for-
 tè fefellit me opinio. Ea enim omnia, quæ Johannes Ru-
 dolphus Glauberus, olim Laborator meus, in parte secundâ
 Furn. Philosophic. *de usu & viribus spiritus salis Armoniaci*, spi-
 ritui dicti salis attribuit, Otto Tackenius noster verbotenus
 ferè sali viperarum ascribit in schedulâ illâ, quam Serenissi-
 mæ Viduæ Schönisingensi de usu salis viperarum exhibuit,
 quam unâ cum Glauberi loco hîc ascribere placet, ut vide-
 at Lector, omnia ferè paucis interjectis aut mutatis ex Glau-
 bero esse descripta. Glauberi verba, uti in latinâ quidem
 editione Amstelodami anno M DC LI, publicatâ ha-

— a
 beti
 fixo

ventur (ipse enim linguâ vernaculâ scripsit) pag. 128. 129. hæc sunt:

De usu & viribus spiritus salis Armoniaci.

Hic spiritus valde penetrativus, naturâ aereâ humidâ calidâ præditus est, quare in multis morbis commendatur, Administratur à gutt. 8. 9. 10. ad 12. plus minus, subito universum permeat corpus, sudorem provocat celerrimè, obstructions lienis reserat; resolvit & expellit humores vitiosos per sudorem & urinam; curat quartanam, colicam, suffocationem matricis &c. In summâ efficacissimè incidit & attenuat humores crassos & lentos, eosq; evacuat. Extrinsecè etiam feliciter usurpatur, restringit enim inflammationes & combustiones, curat gangrenam & erysipelata; mitigat dolores podagricos, lintedolis applicatis, etsi pustulas trahat, nihil tamen refert. Pulsibus applicatus commendatur in febris ardentibus; tumores tollit & dolores; sanguinem congelatum resolvit; luxatis opem fert membris, & nervis rigidis; olfactus curat hemicraniam, aliosq; capitis affectus diuturnos, quia solvit materiam peccantem, eamque evacuat per nares: auditum amissum restaurat; extrinsecè nimirum alligatus cum instrumento aliquo congruo. Nec non in obstructione mensium, administratus extrinsecè, modo spirituali, beneficio apti alicujus instrumentuli, citò aperit obstructions, purgat uterum, & fecundas reddit mulieres &c. Mixtus aqua fontane & in ore retentus mitigat odontalgiam ab acris humoribus profectam. Cum clistere parum administratus lumbricos necat & colicam mitigat.

Jam Tackenij verba, à me in latinum sermonem translata, simul subjiciam, ut Lector còfaciliùs plumas, quibus hic graculus se ornavit, agnoscere queat:

(Lit. F.) Copia Tackenianæ Instructionis de viribus salis Viperarum.

De usu salis viperini tam fixi quàm volatilis.

Bina hæc salia virtutis sunt penetrantis, natura calidæ humidæ & aëreæ. Dosis utriusque à granis 8. 10. ad 20. equali pondere mixti cum conveniente vehiculo. Penetrat id totum corpus; sudores subito movet; tollit obstructiones epatis, lienis & mesenterij, aperit, & per diaphoresin agit; omnis generis febres, colicam, pleurisin, suffocationem uteri &c. sanat. In summâ omnem viscositatem, crassitiem & malignitatem humorum validissimè incidit & dissipat, totamq; naturam roborat. In omnibus febribus intermittentibus jejuno ventriculo horâ ferè unâ ante paroxysmum propinatum cum decocto hordei vel cichorei, desuper sudando, & ter vel quater subinde ante paroxysmum repetendo (10. grana fixi, 10. grana volatilis) in febribus continuis vel pestilentibus jejune itidem exhibetur. Nisi operatio ejus largiori impediatur potu, primo statim aggressu optatum præstat effectum.

Salis fixi usus.

In tussi, catarrhis, & omnibus thoracis affectibus, lambitur ejus aliquid, quoties tussis urget. Simili modo lambendo (scilicet ut capræ in aliquibus muris lambendis solent) sedat sitim in febribus acutis. Sanitatis conservanda gratiâ singulis manè lambitur ejusce salis granum unum. Quod si præclarum aliquod ex tempore parandum sit purgans, salis fixi x. grana præter propter dissolvuntur in liquoris alicujus unciis duabus, addendo tantundem foliorum senæ, vel quod ex purgantium genere lubeat, stent simul ad tempus Credo, exprimantur. Sic paratum est, purgat leniter & validè.

Salis volatilis usus externus.

Dissolutum in aquâ & impositum, extinguit omnis generis inflammationes, incipientem gangrenâ, Erysipelata (ita scripsit Tackenius) sedat dolores Podagræ, si ejus drachma una cum phlegmate vitrioli vel aquæ Rosarum unciâ unâ solvatur & cum lanâ bombycinâ applicetur, in febribus ardentibus pulsibus alligatum potenter juvat, tumores item varios doloresq; sedat, membra paralytica inunctione restituit. Hemicraniam aliosq; diuturnos capi-

is affectus solo odoratu sæpè repetito curat, aqua communi immixtum & in ore detentum, odontalgiam in continenti tollit, Clysteri parumper ejus inditum, in momento colicam sedat.

Bina hæc salia oportet diligenter obturare cerâ, si servari debeant, aliâs quod volatile est exspirat, fixum verò solvitur. Precium unius uncie à XVI. (Germanis verò à XII.) Imperialibus nummis ad plures æstimandum venit.

Hactenus Tackenij verba pro Encomio sui salis viperini.

Quorum Sensus ferè idem est; saltem mutata nomina & character dicendi; quod cordatus lector facilè intelliget. Neque enim id egi, ut, transferendo Tackenianam formulam, eam dictioni Glauberianæ, ab alio, licèt non satis ad gustum, adornatæ (ipse enim, ut antea monui, Teutonicè scripsit) similem efficerem; sed ut eundem ostenderem sensum, eandem vim, & vires salis, quod Tackenius quidem appellat viperinum, Glauberus verò spiritum salis Armoniaci; è cuius, nec non huic similium, genere etiam depromptum esse, facilè cuivis in arte perito id subolet, si punitâ non laborat: ne lector credat, eximium quid & antehac omnibus incognitum invenisse Tackenium. Inventis facile est aliquid addere, ut vetus habet verbum: Quid verò noster addiderit, quilibet prudens lector ex collatione Glauberiani fragmenti & Tackenianæ formulæ, facilè deprehendet.

Verùm hæc quasi ἐν παρόδῳ. Redeamus nunc ad id, unde digressi sumus.

Ubi itaque Tackenius vidit, & ex aliis intellexit, editionem Epistolæ, quam antea tantoperè urgebat, & sæpius petebat, ipsi non fore honorificam, consilij ipsium coepit pœnitere, & omne odium, quod & ob iudicium nî fallor de sale

Viperino, & editionem Epistolæ, nec non appendicem, collegerat, in me solum effudit. Literasque primò plenas iræ & furoris, atrocissimarúmque injuriarum & calumniarum ad me mittit, quarum autographum, cum priùs exemplar ex iis usui meo transtulisset, de consilio Icti cujusdam remisi, cum debitâ ad calumnias illas responsione & purgatione etiam eorum, quæ mihi objectabat, sufficientissimâ; sperans, eum fore mitiorem, & excusationi meæ locum relicturum; interim reservatâ mihi actione contra ipsum competenti. Verùm non tantùm non fuit mitigatus; sed longè magis exacerbatus & prorsus in furorem actus, in publicum *Apologiam* edere ausus est, sub infami hâc inscriptione: *CONTRA FALSARIUM, ET PSEUDO-CHIMICUM HELVVIG DIDERICUM.* In quâ gravissimorum scelerum, quæ non aliter nisi furcâ & patibulo expiari possunt, si illorum convinci possem, me coram toto Orbe, impio ausu, reum agere non dubitavit. Ut autem totus Orbis terrarum, quem Iudicem hoc ipso constituo, intelligat, videat & manibus quasi palpet, quàm insignem injuriam mihi inferat meus calumniator, & quàm tetra & grandia sint illa mendacia, quibus me obruit, ipsas nefandas ejus chartas, quibus nihil impurius tota furiarum cohors ex Averni faucibus exhalare possit, transcribam, & post Apologiam meam, quam importunus homo à me extorsit, in Iure & facto optimè fundatam subjiciam.

Priùs à Te, Amice Lector, per Deum, per sacra Musarum, per Iura humanitatis, per vincula, quibus humanum genus continetur, per omnia denique jura humana & divina rogatum enixissimè volo, ut sepositis omnibus affectibus, procul felle & rugâ, causam, uti à me agetur, perpendere, crimina, quæ mihi à Tackenio intenduntur, cum probationum mearum momentis conferre, & inde incorruptam sententiam, omniq̃ue perturbatione liberam ferre velis, cui
me

me totum, quantus quantus sum, lubentissimo animo subji-
cio, eâque stabo cadamque. Ipsa autem Apologia, quam
rectius libellum famosum vocasset, de verbo ad verbum ita
habet.

(Lit. G.) *Apologia contra falsarium, & Pseudo-
Chimicum*

Helvwig Didericum.

Non exiguam animi doctis & ex arte peritis Fabius pictor hac
sua sententia attulit consolationem, dum dixit Artes tunc
solum esse beatas, quando illas artifices judicant. At homo
indoctus & in arte non peritus, quo injustius & ineptius nihil in-
venitur, hoc solum rectum, ac perfectum judicat, quod ab ipso est per-
petratum. Quod & tu Pseudo-Chimice Helvwig Diderice (te ta-
men laude tua, si quid dignum laude possideas, minimè spoliare in-
tendo) cum cæcis, qui de coloribus nullum judicium ferre possunt, præ-
sumptuose, partim & innato odio, partim ex inscitia & mera igno-
rantia, ea quæ de liquore Alcahest, ex Philosophis annotavi carpe-
re non erubescis: Hoc tamen judicium tuum si quis consideraverit,
præter latratus, vociferationes, & mendacia quasi execrationes sere-
res, aliud nihil inveniet, quod nihil aliud est, quam hominem exue-
re, & ab omni humanitate penitus degenerare. Unde non immerito
à seva illa Circe non in leonem, sed in latrantem caninam bestiam
transmutatus, omnibus visus es, & quilibet hinc sana mentis hoc vi-
perinum tuum venenum contra me effusum, à privato quodam o-
dio provenisse quam facile intelliget, quamvis nullus veritatis ama-
tor à primo seculo, hoc exercitio caruerit, percurre omnes terras, e-
volve omnes historias, vix quæquam immunem hac peste reperies.
Permitto itaque tibi oblatrare, & vociferari, quia non vereor crabro-
num strepitus, qui magnitudine quidem horribiles sunt, aculeis ve-
rò destituuntur, & faciunt quantum possunt, victoriam verò nun-
quam

quam asssequuntur. Opera tamen pretium me facturum arbitrabar, si tuis obtrektionibus, ac iniquissimis mendacij s obuiam irem, ac pari stylo calumnias impudenter in me effusas depellerem.

Non inficias ibis mendacissime Diderice, quod de mearum Epistolarum fragmentis copiam (non verò ut Notario imposuisti Autographum ipsum) de liquore Alcahest à te multis intermixtis & appositis erroribus, tam contra Syntaxeos praecepta, quam contra Orthographiae observationes impingentibus, mutatam, variatam, falsificatam, nec non cum annexâ aliâ injuriosâ & confictâ quasi à me ita conscripta, nulla tamen per me data causa, nisi quod ante quatuordecim circiter annos, cum aurum tuum potabile Duci Arnheimio praesentares, discursus & veritatis gratia meam sententiam adiecerim, typis publicè excutiendam dederis. Itanè observas Hypocratis praeceptum? qui jubet medicum modestis ac bonis moribus praeditum esse? En naturam tuam canina ipsa pejorem & crudeliorem, venenum enim tuum ante tot annos conceptum & a te impiè reseruatam modo primum evomis ut tuam non humanam, sed Sathanae imaginem toti mundo representares. Ingenui adhuc cum viri non sit, sed potius nebulonis, hominis nihil commeriti famam confictis lacerare mendacij s, vel audivisti fortasse aliquando homines perversos, ob juniorum & innocentium insectationem claros evasisse? minimè certè, quod si adversus me calamum arripere aestuabat animus, rationibus illud evidentibus & veris, non calumnijs & injurijs (quae tanti momenti tamen non sunt, ut de possessione me dejiciant, vel fructum eripiant) praestandum fuisset.

Verum haec ipsa ignorantissimorum infimae sortis, nec non ineptissimorum hominum natura & conditio est, ut quod rudi suo ingenio assequi non valent, per invidiam damnent, & re ipsa ostendant prudentissimè discurrere Senecam, multi tum ait, ad Sapientiam pervenirent, nisi se jam arroganter pervenisse putarent. Adhuc nonne capitale noveras, falsa sub alieno nomine in vulgo spargere? Contra detractores, quid divina, quid humana jura statuunt, ac praecipiant?

ant? his tamen cognitis perspectisque omnibus, adeo tuus odio, ira, & invidia aestuabat animus, ut contra omnem prudentis viri discretionem, millenas calumnias & convitia inaudita in me voracis Harpyæ instar exspueres, conceptam meam spurcissimo ore pollueres epistolam, illam taxares, & censes, quasi tui esset muneris, qui ex latina lingua nonnihil furatus, aliorum scripta contemnere, quorum consensum tum non intelligis, ad calumnias tanquam ad asylum ignorantie confugis. Attamen ut me invidum tibi non esse videas, pro Epistola mea censore, & doctrina digno, & auctoritate publica confirmato agnoscam: Quæro autem imprimis ex te, scripta mea canino dente dum laceras (quod censoris tamen non est officium) an loquendi vituperes genus? quod grammatici muneris, an conclusiones & illationes unius ex alio corrigas? quod Philosophi, an vero sit ne Alcabe st verè ens vel non ens disputes? quod veri Chimici: Si ut Philosophus aut verus Chimicus judicasti, te non verba, sed substantiam verbis conscriptam, & expressam, cum verba rebus, & non res verbis subjecta sint, examinare oportuisset. Vt Grammaticus ergo tam ineptè, & stolidè in me censura tua procedis & invehis? Sed ne grammaticus quidem es, grammatici enim non est, ne dicam censoris aliorum scriptis errores falsariorum more inserere, sed verba potiùs apta, & requisita ponere, constructionemq; prout Syntaxeos præcepta jubent observare, quod tu Pseudo-Grammaticus in tua sub nomine tamen meo impressa Epistola fecisti neutiquam. Grammaticum te tamen admittam, si illum forte grammaticum dixeris, qui grammata novit, & hoc beneficium cum pueris commune habes. At forsàn verba mea tibi non videbantur sufficientia, ut lectorum animos ad approbationem commoverent? fallor, nam ob verborum efficacitatem, qua Alcabe st penitus annihilabatur, ira & canina tua invidia ad contumeliosam istam te concitavit Epistolam, quâ tu meam (de quâ tamen ob crassam tuam in omnibus ignorantiam ne minimum quidem iudicium ferre ne dicam corrigere poteras) infamare frustra conatus fuisti, cujus verò effectus tibi totus contrarius secutus est, ut omnes nimirum, qui

appendicem tuam meris refertam mendacijs legunt, meamque perso-
 nam & tuam caninam naturam agnoscunt, falsarium, detractorem,
 impostorem, & mendaciorum magistrum, illam composuisse asserant.
 Hæc victoria tua, hic triumphus, hoc trophæum, hac laurea coronatus
 capitolium ascendere poteris: sed Attende, ne ad Capitolium tum pro-
 peras, ad furcam, quam ob multiplicia tua furta, multis abhinc annis
 promeritus es, rapiaris. Detractorem ne esse me credas, commissa furta
 tua, si audire placet narrabo, quæ tamen hætenus in imo pectoris mei
 absconsa latuerunt, nec provenissent unquam, nisi multiplices tue in
 me calumnia (quas tamen, postquam rescivi Epistola mea fraternè
 avertere conabar, ut ipse Schuvalbachij coram doctis atque in doctis
 confessus es) violenter a me extorquerent. Silebo cætera, sufficiat, (ne me
 absque fundamento loqui aut ex tua detractorum & impostorum fa-
 rina me esse arbitraris) quod ingentem aureorum summam a Serenis-
 simo Electore Brandenburgico pie memoriae vanis de conficiendo po-
 tabili auro pollicitationibus, expiscatus fueris, ut in egerum tuum
 transmitteres marsupium, illudque jam jam macie confectum reso-
 cillares: Et hunc aurum conficiendi aut destruendi potius modum Al-
 cumia tua te docuit? Docuit sanè, nam ne dolus tuus adverteretur,
 persuasiva & sagacissima lingua tua auctoritatem nactus, effecisti
 tantum, ut laboratorium cum omnibus requisitis sumptibus & impen-
 sis maximis, non ex tuo tamen, sed Electoris Serenissimi marsupio
 erigeretur, testes sunt furni ridiculosissimi, & ad verorum Chi-
 micorum operationes ineptissimi, tua ignorantia & phantasia
 extructi, qui te in fumi vendulorum officinis versatum esse judi-
 cant, Testes aurei nummi, quos inani jactantia aurum te nempe pota-
 bile, quo Electoris Serenissimi sanitas restitui possit facturum elicuisti
 & expressisti quod tamen promisisses nunquam, si celeberrima Her-
 metica Philosophia Stropham 31. legisses, vel ut verius dicam intel-
 lexisses, quæ præmissa tinctura auri refutatione totali, tandem sic con-
 cludit: Tinctura corpus suum sequitur & eo neutiquam se-
 paratur: ea est artis illusio ipsis artificibus incognita. Testis denique

aurum illud, quod aqua regia solutum, & in vitrioli formam concre-
tum & coagulatum Excellentissimo Imperatoris generali Arnheimio
ex Svecico carcere reduci in cucurbita sigillo tamen tuo (ut Alcumista,
fumivendulus, eo melius & citius forte cognosceretur) munita, per H.
E. tibi tum temporis inservientem ad spectandum & ridiculum opus
tuum admirandum exhibuisti? Sed audi Doctissimum & verae artis
Chimicae amatorem Arnheimium, aurum tuum potabile depradican-
tem; Profecto (adstantes inquit) D. Didericus artem Alcumisticam ut
cum Erasmo loquar optime novit, dignus ut in eorum recipiatur nu-
merum, qui artem incidendi loculos callent; Rudis stentator, praeterea
addit, qui Chimiae titulo turgidus ut asinus pelle leonis suffultus, aurum
quod construi non potest, contra verae philosophiae principia destruere
praesumit. Haec ducis sapientissimi verba, hoc auri presentati encomi-
um, tibi vero ad majora concitamentum & solatium. Tu tamen de his
omnibus certior factus tam perfrecta adhuc frontis es, ut me in labo-
ratorio tuo nec non sub informatione tua Chimiae praxin addiscere
voluisse mentiri non erubescas? Histeron proteron, nam de quo tu me
accusas, ipse reus es. Nonne in operationibus etiam vulgaribus si quic-
quam obstaculi occurrebat (occurebat autem in singulis) mediante H. E.
modum a me petisti? quod in multis ad me datis literis fatetur & at-
testatur. Stolidum pecus. Nonne sex mensium spatio anxie laborasti (te-
stem te ipsum invoco) pro sale cristallino plumbi? At quia modum i-
gnorabas, uti & adhuc ignoras, cristallorum loco, picem invenisti mate-
riam, & hoc in singulis coagulationibus: Nonne operandi modum cum
aperui confestim ex voto successit negotium? En Didericus si homo
verax esset tacuisset, sed mendax quia est, & semper fuit, mentiri, &
turpitudinem suam manifestare potius quam silere voluit. Verum ad
picem tuam redeamus Chimicam, occultas illius si placet virtutes bre-
viter edoce, siles? & cur? an linguam invidia cohibet? aut times ne
forsan ad laboratorium tuum me conferam, & inauditum hoc
mysterium picem Alcumistica tua arte conficiendi addiscam? sed fallor
Diderice, Parce quaso, & da veniam dictis, quae in te precipitanter
nimium, nec tua intentione melius considerata protuli; occurrit enim
jam

jam, Babilonicam te picem imitari voluisse, quod secundum Histori-
 corum traditiones saxa ita inter se coniungit atque conglutinat, ut à
 se invicem divelli nullo instrumento possint, hoc argumento forte du-
 ctus credidisti ita te pice tua corpus humanum cum anima & oculos
 tuos cum marsupio unire posse, ut alterum nulla infirmitate ab ani-
 ma, hic vero nullis expensis à marsupio dissolvi ac eripi possunt. O A-
 girtarum & medicastrorum omnium astutissimum? qui marsupij pro-
 prij sanitati avidissimè suis inventionibus diu noctuquè studet, ut
 immortalitatem ejus invenire valeat. Et hæc stulta tua & vana i-
 maginatio te forte commovit, ut ruper Norimberga gloriabundus Se-
 renissimi Brandenburgensis Electoris ordinarium medicum cubicula-
 rium te jaçtuares, tui similem hoc seculo non esse medicum nec orbem
 tibi parem habere Chemicum falso affirmares, scripserunt ad me qui
 presentes audiverunt, sileo alia quam plurima turgida mendacia,
 viro gravi & tam docto qualem te ipsum æstimas minimè digna,
 quæ brevitatis gratia prætereo. Sed ad tuam ut revertar, stolidam
 jaçtantiam, nonne te stultum, & infulsum caput judicabit quilibet,
 quod ambitione adeo excecatus te tanti mundi Monarchæ ordinari-
 um spargere audeas? Interim hinc inde circumforanei instar circum-
 vageris? quasi vero homo etiam rudis prodigiosa tua mendacia evi-
 dentissime manibus palpate non posset, & cum Cicerone judicare, qui
 mentiri solet etiam pejerare consuevit. Et hæc de te Historia aut lepi-
 da & insipida potius gloriatio, non adeo pridem in convivio nonnul-
 lorum narrabatur: Convivarum unus qui nomen tuum forte magis
 quam tu meum defendere cogitabat, non miror inquit, cur Didericus
 Serenissimi Electoris sui lateri non semper adhereat, circumforaneus e-
 nim est, & contra illorum præcepta ac regulas peccaret si in uno sem-
 per permaneret loco; dein Paracelsi doctrinam omnè callet & ejus scri-
 pta, ut ait (de quibus tamen intelligit tantum, quantum asinus qui vis)
 devoravit totaliter, quæ propter magnetica vi & indistans agendo,
 Hamburgi existens Serenissimum Electorem in Prussia residentem, me-
 diante pice sua cristallina plumbi tam à malis præservare quam me-

deri novit. Quasi vere nonnulli, cur Hamburgo cum arte sua magnetica discesserit? quibus ille, ne miremini: Hamburgi inquit non est de pane lucrando: ibidem enim non agitur quemadmodum Regiomonti in Prussia de auro puro, & propterea reservatum ejus arcanum, haecenus nulli patefactum, magno Germania Heroi, Agirtarum & fumi-vendulorum more falsis pollicitationibus philosophorum suorum usufur querendum & peregre abeundo inveniendum persuasit. Sed Heus tu omnium scelerum colluvies, quomodo non erubescis, falso persuasionis doctrinae Chimicae titulo turgidus, tot hominum marsupia exsiccare? fucatum Chimiae titulum tibi furto, & rapina usurpare? inde a laverna honorem exercere; revocando & abstrahendo homines bonos à veris honestisque laboribus, ad speluncas, fumos, fuligines, & fautores pessimos, ubi & tu cum tuis veluti in Tartaro miserrime peribis! Nonne agis contra divina Hippocratis praecepta? qui Persarum Regi respondere jussit: quod tam victu, & vestitu, & domo & omnium, ad vitam sufficienti opulentia frueretur. Nonne juxta verorum medicorum testimonia quaelibet terra medicam artem alit? tu verò medicaster, sine tua arte Alcumistica apud Hampurgenses, ubi vivunt tot viri docti, & celebres lucrari posse panem negas? Videsne Phantasta, quae de elatione tua & inconvenienti aestimatione propria, homines prudentes judicia ferant? Videsne medicastrosum spectrum, quomodo intelligentibus opprobrium, audientibus jocus, & risus praesumptuosa tua doctrina factus sis? hic fructus, hic effectus ambitionis tuae, ut quemadmodum te jam fama privavit, brevi rationem ipsam auferat. Hac de persona tua dicta sint, nunc ad meam redeamus. Inter cetera figmentorum tuorum acumina Pharmacopaei me nomine & titulo pungis: sed vituperare hoc argumento tum cogitas, laudem mihi summam tribuis, scire enim te oportet Pharmaceuticos verorum medicorum dextras manus esse quae praescripta ab ijs pharmaca secundum omnia requisita preparantur, ego vero si juxta censuram tuam, & medicus & Pharmaceuticus sum, mihi soli, duplicem ex duplici scientia laudem attribuis, ut medico nimirum, &

ut dextra Medici manui: Hanc tamen laudem veris medicis omnibus communem ne more tuo mihi soli adscribam, scire te oportet nullum perfectum medicum esse (de circumforaneis, & tuæ farine consodalibus non loquor) qui non Pharmaceuticus sit: Medicamentorum enim compositionem unde sciret? illorum compositiones unde prescriberet? illorum virtutes, & qualitates unde nosset? si Artis Pharmaceutica ignari essent. Calepinum de nominis Pharmaceutici significatione consule, respondebit eum esse, qui pharmaca tractat, atque lege artis componit: Viden quam acu rem tetigeris? eo ipso quod Pharmaca tractare nolis, quod medici est, medicus non es. Medicinæ Tyrones nonne ad Pharmacopoliæ à præceptoribus suis mittuntur, ut simplicia, & eorum naturas, & qualitates, pharmacorumque compositiones agnoscere addiscant? Pharmacopoliæ tum annuatim visitantur, quis visitat? tu, aut tui similes Ciniflones & circumforanei? minimè hercule, medici sunt quævis inquisitio & visitatio incumbit, medici sunt qui Pharmaceuticorum tanquam supremi iudices, & Rabini pharmacorum bonitatem & malitiam inter se conferunt, & bonum a malo segregant. Quanta verò damna per medicum Pharmaceuticorum scientia ignarum emergant, in te pro dolor tanquam in speculo videre est, qui ubi apud imperitum vulgus garrulitate tua tandem fidem nactus es, post multas fabulas ad pharmaca tandem descendis, ingenij ostentandi gratia, Chimica tibi ignota proponis, Galenica & mixta sine omni methodo (ut testes sunt Orphani & Vidua I. M. B. cui Galbanetum in arida contractura præter Paracelsi mentem ordinasti) ineptissimè prescribis, & viribus inter se sæpè pugnantibus, Vt medicum saltem simia instar imiteris. Quod si ordinata potio casu potius quam arte profuit, curam in calum loquacitate tua extollis, si contra quid nocuit, culpa omnis in ægrum à te transfertur; in summa de hominum non magis quam de pullorum cade es sollicitus, sicque non modo tuam lædis conscientiam, (quam tamen desperatorum more parvi aestimas) sed & ægrorum sanitatem, vitamque homicidæ instar simul cum pecunia furaris: Quod inde solum-

mo-

modo provenit, quod Pharmacorum nullam plane scientiam habeas. Ego verò summo mihi honori duco, quod à primâ adolescentia mea (cujus rei testis volens nolens esse debes) in Pharmacopolijs & juxta optimum Raimundi consilium, cum Chemicis expertissimis versatus, in Vulcani officina indefesso labore operatus, & sumptibus non exiguis, Dei gratia tamen proprijs, practicus factus sim. Hacquè via factus sum Pharmaceuticus, publicis ceremonijs medicinae creatus Doctor, & industria ac sedulitate non garrulitate & inani verborum pompa in despectum tui verus Chemicus. Habes nunc vitæ meæ cursum, conditionem & statum, quem in detractoria Epistola tuâ conclusione tantopere scire desiderasti, habes & vitæ tuæ nequissima, breviter descriptas maculas, alias recensere pudet, quæ adeo graves & obscenæ, ut factilius vir etiam doctissimus cum Hercule Augiæ stabulum, quam te, ab ijs eloquentia sua purgare possit. Iram cohibere, & ab inutili, nec non odiosa vitæ & actionum tuarum enarratione, & descriptione desistere, melius & gloriosius est, ne in te calumniosè ut tu in me, agere videar. Viperina lingua tua multa mendaciorum, detractionū, injuriumquè venena in me evomisti, ego verò omnia veritati consentanea, & per me probabilia in defensionem meam contra te scripsi. Et quanquam bene mihi illud Salamonis proverbium cognitum erat, Perverso cordi conjuncta quoque perversa lingua, quæ cordis thesaurum aperit, & exitij foveam sibi parit, nulloque modo opus fuisset, contra te famam meam (quam tu abjectissima sortis homuncio, nugis tuis omnibus ledere minime potes) presenti epistola defendere. Propheta tamen consilio obedire, & tibi stulto juxta stultitiam tuam respondere volui, ne Sapiens tibi videaris. Vale mendax, phantasta phantastarum, cum auro tuo potabili, tua pice Cristallina plumbi, & Alchæst non entibus. Et scias, me tecum & cum philosophis tuis (quos tibi, ordine citavi) non esse certandum cum ij, in hoc certaminis genere tanti æstimentur, ab ijs qui saniori doctrina & ratione sunt imbuti, quantum tibi hoc scripto manifestavi, qui picem enim tuam tangit, inquinabitur ab ea, juxta Epigramma illud,

Di-

*Dico pro certo, quod si cum stercore certo,
Vinco vel vincor, semper ego maculor.*

Candide Lector si forsan errores, mei vel Typographi incuria fuerint commissi, eos pro tua benevolentia ipse corrigere non graveris, Tu verò Diderice, cum te grammaticam, Abcedarium, & falsarium deceptorem toti mundo ostenderit, corrige pro canino more tuo. De reliquis tuis nævis & nequitijis, videbis appendicem, cujus titulus Arcanum laboratorum Helvvig Diderici.

Epigramma in Autotem.

P*arcere vindictæ speciem Petrarcha vocabat,
Hujus servasti quam benè dicta viri:
Nam quamvis magna est Diderici injuria, qua te
Læsit, non tamen hunc lædere læse cupis.
Vindictam parcendo cupis (laudabile factum :)
Quærere, non alijs hunc violare modis.
Scilicet infamem credis non lædere posse
Alterius famam, sustulit ergo nihil ?*

Ponebat
integerrimæ affectionis
ergo
I. VV. P. Venerus A. 1652.

Aliud in Didericum Pseudo-Chymicum.

C*ristallum salis ex plumbo Diderice laboras
Conficere, at nigram conficis ecce picem,
Ter repetis, verum frustra bis terquè retentas
Cur hoc ? quod totus plumbens ipse sies.*

L. A. M. D. Norimbergæ.

Aliud in eundem medicos in Pharmacopolijs multum versantes contemnentem.

Esse negant medicum Didericum Pharmacopæi
 Nunc, at non quando Pharmacopæus erit.
 Pharmacopæus erit, quando omnia pharmaca novit
 Inscius illorum qualis erit medicus?

Aposuit N. N. Venetiis.

Huc usque Apologia Seu Libellus famosus Ottonis Tackeni, quo lecto risum teneatis
 Amici.

Antequam verò ad capita criminum, quibus famam meam & existimationem apud bonos onerare voluit, veniam, causas Apologiæ meæ maximè necessariæ edisserere placet. Quamvis enim me non lateat sapientis oraculum; *stulto secundum stultitiam non esse respondendum*; neque cum Socrate optimo illo vitæ morumque Magistro *recalcitrandum*, intelligam, *adversus petulantem mulum*. Qui, ut Plutarchus Autor est, *(lib. Quæ rat: ex inimic. emol. capiend.)* *vel minùs ac muscam curabat verba molesta.*

Cùm secundum eundem Sapientem, *eo nihil sit gravius, vel pulchrius, quàm si ad inimici convitium conticescas:*
Lis si petram mordacem ut præternavigans.

Præsertim cum calumniæ non infament, aut quicquam ingenerent turpis, sed vitia, quæ nobis inhærent, & facta, quæ commisimus, scelere nos polluant & infamiâ notent; tamen atrocissimas injurias dissimulare, aut silentio abolere, neque è re meâ, neque honestatis esse duxi. Ut enim Virtus quidem verum solidumque parit honorem; non ejus opinio; adeoque ignominiam inurit non opinio de vitio & scelere, sed ipsum vitium; tamen ut utrumque prodest

dest

dest, & honestum esse, & videri; ita utrumque quoque obest,
vitiosum infamemque & esse & vulgò audire.

Præclare Philo Iudæus. (*lib. de Migrat. Abrah.*) Sed quod
est illud quartum donum? Magnitudo nominis. Ait enim:
Magnum faciam nomen tuum. Id equevidem sic intelligo. Sicut
bonum ac honestum esse, ita & videri prodest. Est quidem veri-
tas opinione melior: utramque tamen sua bona fortuna sequitur.
Multi enim, nec fucati nec simulati cultores fortune, capti ejus nati-
vâ pulchritudine, neglectis vulgi rumusculis, petiti sunt insidiis, pro-
malis habiti, cum reverâ boni fuerint: Ceterum existimatio tum de-
mum prodest, quando ex re nascitur, sicuti experimur in corporibus.
Nam etsi homines egrotum bene valere, aut sanum agrotare cre-
derent, sola opinio nec morbum nec sanitatem efficeret. At cui
Deus utrumque concessit, ut bonus ac honestus & sit, & videatur, hic
verè beatus est, & verè vir magni nominis. Nec est negligenda
bona fama, res in omni vitâ utilissima. Quocirca fama & exi-
stimatio, in quâ bonam partem vita hæc civilis consistit, ne-
gligenda non est, præsertim cum hac ratione veritas op-
primatur, mendacia invalescant, ardor ad Virtutem suffla-
minetur, & præmia honestatis, bona fama scilicet & honor,
quibus permulti in officio retinentur, funditùs tollantur. Be-
ne iterum Sapientissimus Iudæorum Philo: (*lib. i. de Iudice*)
Quid enim in vitâ est æquè pretiosum ac veritas? quam Vates sa-
cipiens inscribit loco sacratissimo, eâ parte vestis pontificiæ, ubi est prin-
cipalis vis animæ, ut sacerdotem, per hoc ornamentum, augustiorem fa-
ceret. Veritati autem adjunxit cognatam virtutem, declarationem
ut vocat, ut essent ceu imagines orationis, quæ vel animo concipitur
vel profertur etiam. Nam huic declaratione opus est, per quam aperi-
atur aliis, quicquid latet in animo: sicut veritate illi alteri ad perfe-
ctionem vitæ actionumque, per quas itur ad felicitatem. De men-
daciis idem Autor. (*lib. Quis Rerum Divinarum Hæres sit,*)
Quòd si omnes mendaces persuasiones bonâ fide coarguantur, & ad
ho.

*hostimentum peccata compleantur, continuato cursu fugiemus, & orans
 solventes, navigabimus à regione mendaciorum ac sophismatum ad
 Veritatis stationes portusq; tutissimos. Atq; ita satis demonstratum
 puto, esse impossibile averfari, odisse, deserere mendacia probabilia ra-
 tionibus verisimilibus, nisi detegatur ad plenum eorum iniquitas;
 qua tum demum apparebit, si diligenter cum Veritate conferatur. De
 ardore ad Virtutem Xenophon: (In Hieronte sive Tyranno.) Vi-
 detur, inquit Hieron, praclara quaedam esse res, honor, cujus amore
 mortales, & laboris quidvis subeunt, & quodvis adeunt periculum.
 Paulò post: Nam mihi quidem Hieron, hoc distare videtur homo
 à brutis, quòd honoris est appetens: cum cibo, potu, somno & venere,
 cuncta animantia similiter gaudere videantur. Honorum verò cu-
 piditas, nec brutis animantibus insita est, nec omnibus inest homini-
 bus. At quibuscunq; insita est honoris & laudis aviditas, ij de-
 mum sunt, qui plurimum absunt à pecudibus, pro viris, ac jam non
 pro hominibus solum habendi. Paucis interjectis iterum: Nec
 enim ulla voluptas humana propius ad Dei naturam videtur acce-
 dere, quàm honore gaudere. Taceo ingentem injustitiam, quæ
 per calumniatores committitur, quâ Divinum Numen ad
 iram provocatur. Præterquam enim, quòd Deus immor-
 talis in æternâ suâ Lege, quam antiè omnium mortalium a-
 nimis inscriptam, in signum perpetuæ & nunquam desiturae
 obligationis lapideis tabulis insculpsit, expressis verbis simul
 prohibuerit convitia, calumnias, dum generaliter edixit, fal-
 sum testimonium non esse ferendum, ut & prisca & novi foederis
 Interpretes, unanimi consensu testantur; ipsi Gentiles, qui ex
 revelatione peculiari legem illam non acceperunt, insignem
 hinc agnoscunt injustitiam. Ex antiquo foedere unicus Philo
 Judæus (in lib. de Decalogo) sufficiat, cujus verba de falso teste
 optimè ad calumniatorem quoque referri possunt: Post ve-
 titum furtum (inquit) mox vetat falsum testimonium, non igna-
 rus falsos testes, multis magnisq; molestis sese involvere. Primò san-
 ctam*

etiam

Etiam veritatem violant, quæ nihil est in rebus sacratius, solis in morem illustrante negotia, ne quid eorum in obscuro lateat: deinde notitiam rerum quasi nocte quadam tegunt & caligine, & injustos adjuvant adversanturq; injuriam patientibus, dum quæ nec viderunt, nec audiverunt, nec cognoverunt, se certo scire, & probè tenere, asseverant. Et verò si ipsius Novi fœderis loca congerere, & sanctorum patrum, divina Oracula interpretantium, scrinia compilare velim, infinitus forem. Nullum invenire licet, qui quidem octavum explicavit Præceptum, qui non pedibus in hanc eat sententiam, sanctissimâ illâ Lege omnes calumnias, omnes diffamationes, omnia mendacia in proximi detrimentum conficta, ab immortalis Deo severissimè esse prohibita. Gentilium verò sapientum firma ratio concludendi, ut compendium verborum fiat, hæc est; Si graviter contra justitiæ normam committitur, si pecuniâ, si rebus esculentis, aut jumentis, caprâ puta aut equo, aut porco defraudamus civem, num immunis erit ab injustitiâ calumniator, qui non rem ejusmodi vilem, sed quam sapientissimi mortalium & summi Legumlatores, ipsi vitæ, propter quam, tanquam ultimum hominis bonum, reliqua omnia extantur, æquiparant, famam scilicet & existimationem ereptû it? Quapropter summis semper poenis eos affecerunt, qui merâ conviciandi libidine ducti civibus vel peregrinis honorem vel famam detrahere sunt conati. Sanè populi, qui vel reliqua crimina passi sunt inulta abire omnia, hoc unum injuriarum genus vindicarunt Notabilia sunt quæ Strabo scribit: (lib. 15. p. mihi 473.) Indorum Philosophos singulis novi anni auspiciis coram Rege explicare consuevisse, quid quilibet eo anno composuisset, vel observasset de fructibus, de animalibus, de republicâ & ejusmodi aliis rebus, sed tali cautelâ, ut: ubi qui mendax deprensus fuisset, ei per totam vitam ex lege silentium indiceretur: qui vera dixisset, immunis & omni tributo exemptus cen-

feretur. Admiranda Philosophorum horum lex, utpote convenientissima Regulæ communi: *Per quod quis peccat, per idem puniatur!* Quæ enim maledico & mendaci ori potuisset melior imponi pœna? At quo te, Tackeni, putas puniendum silentio? Non admittit per terna, sed per sexcenta mendacia grassans os tuum silentij tantum injunctionem: verum ut tantò rectius fileas, opus existimo tibi *δακτυλήθρα ἢ πῶδος πῶβη ἢ πρῆξιον ἢ ῥιγολαβίδι ἢ ὠπάζειν ἢ κηλοστροφίω*, ut Synesii verbis (*in Epist. ad Episcopos p. mihi 177.*) te torqueam, id est, Petro Nanio Alcmariano interprete, *digiticipulis, peditorquuis, praelis, naritenellis, auriculoforcipe, labritorquellis & ejusmodi instrumentis aliis*, ab Andronico Beronicense exitiosâ in mortales invidia licet inventis, tibi tamē, si ulli alii, debitis. Præterea, ut in universum omnis injuriæ propulsatio naturæ jure concessa est; ita famæ & honoris defensio eidem juri nequaquam potest esse contraria. Quod jus enim corporis, fortunarum, & reliquorum omnium, quæ sub dominium cadere possunt, tutelam concedit; illud sanè existimationi nostræ defendendæ, utpote res illas longè superanti, auxilium non denegabit. Bene Ictus Florentinus: (*L. 3. ff. de Iust: & iur.*) *Ut vim atque injuriam propulsemus.* Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur, & cum inter nos cognationem quandam natura instituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. Imò eousque hæc tutela naturæ propria est, ut animantibus etiam brutis sit implantata, quæ eo modo, quo possunt, noxia à se propellunt. Xenophon: *Omnia animantium genera, pugnam norunt aliquam, quam non aliunde, quàm à naturâ didicerunt.* In Halieuticon fragmento est:

— — — omnibus hostem
*Præsidiumq; datum sentire & noscere teli
 Vimq; modumq; sui.*
 Horatius dixerat;

Den-

*Dente lupus, cornu taurus petit, unde, nisi intus
monstratum?*

Lucretius verò ampliùs:

Sentit enim vim quidq; suam, quã possit abuti.

Cornua nota prius vitulo, quàm frontibus exstant:

Illis iratus petit, atque insensus inurget.

*Quem sensum Galenus sic exprimit: Videmus animantium
quodque eo ad sui tutelam uti, quo maxime valet. Nam & vitulus
nondum enatis cornibus eã parte minatur, & equuleus nondum fir-
matis unguis calcitrat, & catellus dentibus nondum robustis morsicat.
Cicero: (pro Milone) Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non
didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturã ipsã arripuimus, hau-
simus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbu-
ti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in tela, aut latronum aut
inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediende salutis. I-
tem. Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus
& feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quãcunque
ope possent, à corpore, à capite, à vitã suã propulsarent. Cajus Iu-
risconsultus: Adversus periculum naturalis ratio permittit se de-
fendere. Iosephus. Est enim natura lex illa, quã in omnibus
valet, ut velint vivere, idq; ipsum est, quã propter eos, qui vitã ma-
nifeste nos volunt spoliare, hostes censemus. Porro eodem Iudice
prudentissimo Tullio: (lib. 1. Off.) Qui non defendit, cum potest,
nec obsistit injuria, is tam est in vitio, quàm qui parentes aut patri-
am deserit. Quapropter hoc Iure, quod omnium animis na-
tura in sevit, justam esse famæ & existimationis defensionem
ecquis dubitat? Et verò in ipsã illã Republicã, quam Deus
Ter Opt. Max. constituit, Hebræorum, coërcitionem illam
obtinuisse, nemini, qui non planè hospes est in V. Testamen-
ti monumentis, ignotum esse potest. Neque Christi lex mi-
tior illa & suavior ab hac defensione quenquam deterret. Ne-
que enim vel Matthæi illud; Audistis dictum fuisse, oculum pro*

ocul-

oculo, & dentem pro dente. At ego dico vobis, ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obverte illi & alteram. Neque ejusdem, quod paulò post sequitur; Et ei qui voluerit tecum iudicio contendere, ac tunicam tuam auferre, permittite & pallium. Item. Et quicumq; te adegerit ad miliarium unum, abito cum illo duo. Item Pauli Rom. 12. v. 17. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes. Non vosmet ipsos ulciscentes, dilecti, quin potius date locum ira. Scriptum est enim; Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum: hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput illius. Ne vincaris à malo, imò vince bono malum. Hæc enim omnia nihil aliud volunt, nisi de re vili non esse temerè litigandum, aut verò ab ultione privatâ abstinendum. Idem enim is, qui dicit; Omnem animam debere esse subjectam potestati: Idem is, (Paulus Rom. 13. v. 4.) qui, gladium dedit Magistratui, quem vindicem (voluit) ad iram ei, qui quod malum est, fecerit; Iudicia quoque & per consequens supplicia pravis & facinorosis infligenda non tollit.

Idem unanimi consensu tradunt omnium seculorum Doctores Ecclesiastici; quorum testimonia accumulare non duco operæ pretium esse. Pauca tantum ex illis, qui de conscientia casibus scripserunt, afferam, ut eò evidentiùs appareat, me temerè in edendâ meâ Apologiâ me non dedisse. Est autem constans ipsorum doctrina, quamvis ei, qui nos injuriâ damnoque affecit, reconciliatæ gratiæ signa non solum communia, sed etiam propria, ut ipsi loquuntur, danda sint interdum; tamen actionem injuriarum, damnorum, & ejus, quod interest nostrâ, remittere ei nos non cogi. Hæc est sententia Richardi, (in 3. sent. distinct. 30. art. 1. q. 2.) ubi addit: quamvis veniam perat inimicus, quia nemo tenetur alteri condonare, quod ei

ei

ei jure debetur. Nec ab hac sententiâ abit Alexander Halensis, (in 3. part. q. 59. membr. 5. art. 3.) qui negat legem nobis impostam inimico, etiam errato suo veniam poscenti, impunitatem largiendi; modo id fiat amore justitiæ. Divus Thomas de Aquino fatetur, (in 2. 2. q. 108. art. 1. ad 4.) licere propriam ulcisci injuriam, cum ea redundat in Deum, vel Ecclesiam, atque etiam cum eam tolerare non expedit, sed id faciendum est auctoritate Iudicis: quando alteri est malum pro malo reponendum, abesseq; debet odium. Ioannes à Turre cremata (in cap. si quis. dist. 90.) tam justam esse, ait, injuriarum actionem, quam ablata pecunia repetitionem, nec ad ejus condonationem cogi quempiam posse. Quos in universum sequuntur Petrus Tarantasius; (in 3. sent. 30. in verb. caritas §. 14. num. 1.) Pisanella, Sylvester, Tabiena, Rosella, Tostatus, Armilla, & alij plures.

Si jam Doctores sive Canonici sive civilis Iuris spectamus, nullus ex omni eorum numero est, qui mihi adversatur; quorum doctrina compendio hæc est: *Vitam & famam pari ambulare passu; crudelem esse, qui famam negligat; homicidam sui civiliter esse, qui injuriam illatam non persequitur; Neminem jus suum alteri donare cogi posse; sed jus agendi injuriarum ejus esse, qui laesus est; Iure naturali, divino & humano satisfactionem eum debere, qui offendit, de injuriâ, de damno, de eo, quod ejus interest, qui offensus est; Potissimum autem hæc vera esse in estimatione & famâ, quæ res familiares longè superet.*

Iam recentiorum nostrorum Dd. & Facultatum Iuridicarum responsa Iuris inferemus, ut & illorum suffragijs, causa mea juvetur. Quam facti speciem ad sequentia Collegia Iuridica transmiserim, hinc subjiciam.

(Lit. H.) Facti species ad collegia Iuridica transmissa.

H

No-

Nobiles, Amplissimi & Excellentissimi
viri, Domini & Amici plurimum
colendi.

Vestris Amplitudinibus notum facio, quòd Titius, Medicus, Reipublicæ cuidam extra Imperium Romanum subiectus, ad primarium quendam Imperij Principem (prægressâ nescio quâ commendatione) vocatus sit, cui promisit, sententiam suam de famoso liquore Alcahest transcribere, quam etiam non multò post manu suâ scriptam transmissit, humilimè rogans, ut Epistola, quam miserat, typis evulgaretur, uti literæ ejus, hâc de re restantes, etiamnum supersunt. Quod etiam, quandoquidem ita voluit, factum fuit. Quùm verò dicta Epistola barbara, vitiis Grammaticalibus, ineptiis & narrationibus, rem nondum evincentibus, referata erat, appendix quædam non à me, sed ab aliis, Autoritate & peritiâ me superantibus, paucis lineolis saltim adjuncta est, hujus ferè argumenti; Philosophus mansisses, si tacuisses; Epistolam esse ineptam, barbaram &c. Publicatione Epistolæ factâ, quùm Titius non tantùm graviter à se peccatum esse intelligeret, sed suam simul ignorantiam publicè proditam ultrò agnosceret, Tertium quendam conduxit, ut nomine ipsius dictione paulò elegantiori, quàm prior Epistola confecta erat, Apologiam adornaret, in quâ me (i.) criminis falsi reum egit, expressissimis verbis affirmare non erubescens, me Epistolam ejus falsasse, vitia Grammaticalia inferuisse, & in ipsius ignominiam publico exposuisse. His à me cognitis, Ego Autographum Epistolæ Titij & impressum Exemplar non tantùm Notario cuidam Nobilis cujusdam Germaniæ Emporij ad collationem & vidimationem, ut loqui solemus, obtuli; sed præterea ejusdem Civitatis Nobilissimo Senatui, & ne quid Adversarius meus requirere posset,

set,

set, etiam primario cuidam Germaniæ Principi & postmodum etiam Electori cuidam humilimè porrexì, supplex rogans, ut Celsit. Celsit. ipsorum intimos Secretarios juberent dictum autographum cum Exemplari impresso & Copiâ descriptâ conferre & in fidem Concordantiæ Electorali & Ducali Sigillis munire. Quod factum est. Secundo Adversarius meus in Apologiâ suâ impressâ & non tantum in Germaniâ sed extra eam in aliis Europæ oris divulgatâ furti magni me insimulat, ac si potentissimo alicui Principi, cui aurum potabile conficere jussus essem, *ingentem aureorum summam* expiscatus fuisset, & ut Apologia loquitur, *illâ egenum meum marsupium refocillassem*. Cui Calumniæ depellendæ (1) totius Collegij Medici, cujus unus & alter tum temporis simul consiliis Medicis interfuerunt, testimonium præstò est, qui unanimi consensu testantur, Clementissimum Dominum nostrum neque confectionem auri potabilis à me postulasse, adeoque nec hâc occasione furtum fieri potuisse. (2.) Idem confirmant Consiliarij dicti Principis œconomici & Camerales, testantes nunquam obolum in præparationem auri potabilis ex Camera fuisse impensum. (3.) Ipse Serenissimus Princeps sub suâ manu & sigillo, præclarum testimonium in optimâ formâ, ut loqui solemus, dedit, in quo fatetur, Adversarij mei inculpationes in universum omnes aperta esse mendacia & atrocissimas calumnias. (4.) Ipsum meum Adversarium de Consilio Prudentum secundum *L. diffamari* ex illâ Republicâ, cui subjectus est, ad Serenissimi illius Principis, cui ingentem aureorum summam furatus perhibeor, supremum Dicasterium citari curavi, ut crimina, quorum me insimulavit, legitimè probaret. Verum licet transmissa Citatio Subsidualis, & instantissimè à meo ibidem legitimè constituto Procuratore saltim Responsio, si nihil aliud, fuerit sollicitata; tamen intra integri anni spatium &

ultra ne verbum quidem responsi loco à dictâ Republicâ elicere potui. (3) Idem meus Adversarius in eâdem Apologia me Agyrta, Erronem, Ciniflonem, Homicidam, publicè proclamavit, quasi Agyrtae instar hinc inde oberrarem, multos malè institutis meis curationibus negligere & necarem, & si quas alias plures calumnias atrocissimas malitioso animo in me eructavit. Quas tamen in universum omnes authenticis literis vocatoriis à Regibus, Electoribus, Ducibus, Principibus & Comitibus mihi clementissimè missis, nec non Academiarum & Collegiorum Medicorum testimoniis, quæ omnia possideo, refellere in proclivi est. Quùm vero injuria publica sit, non tantùm per Germaniam, sed Europam quoque divulgata; Ego verò rebus sic stantibus ab Adversarij mei Republicâ non audiat, adeoque hâc ratione ad legitimam vindictam pervenire nequeam; interim atrocissimam calumniam perferre neque possim neque velim; & porrò propter imminentem senectutem periculum in morâ videatur, ne, si quid humanitus mihi contingat, tacendo confirmata videatur & ingenti maculâ mea familia hâc ratione aspergatur, primò quæro; Annon Crimen falsi etiam adversus subditum Reipublicæ extra Imperium constitutæ, per plures, quarum supra mentionem feci, vindicationes, ut loqui solemus, sufficienter sit depulsum? Secundò; annon furtum, ejus insimulatus sum, eâdem ratione, per antea allegata Testimonia 1. Medicorum, 2. Consiliariorum, 3. ipsius Serenissimi satis superque sit refutatum? Tertiò; annon etiam reliquæ Calumniæ editione literarum Vocatoriarum, Magnatum unâ cum Testimoniis, quæ mihi perhibuerunt de functionis meæ ratione, & publicatione Encomiorum Academiarum, in quibus respondendo & præsidendo sæpiùs disputavi & Gradum in Philosophiâ & Medicinâ summum non sine honore, ut præfiscinè dicam, indeptus sum, nec non Elo-

gio

giorum plurimum per Germaniam Collegiorum Medicorum, possint prosterni? Quartò; Quæ via extra Iudicium, quod hic cessat, eligenda, cui insistens non tantum innocentiam meam orbi ostendere, sed & honorem & famam meam honestam multo fudore partam tueri, idque omnibus illis Provinciis & Regionibus, in quibus atrocissimè sum diffamatus, palam facere & sufficientissimè demonstrare queam? &c. Dabam XX. Mal. Coloniae ad Spream, Anno clb. 15c. LIV.

Amplitudinum Vestrarum
Officiosissimus
Janus Helius.

(Lit. I.) *Responsum Iuris Consultorum Helmæ-
stadensium.*

Cum nobis, Decano, Seniori & cæteris Doctoribus Facultatis Iuridicæ in Illustri Academiâ Iuliâ, quæ Helmstadij est, præmissæ narrationis litera reddita, & Nos, ut ad IV. Quæstiones, sub finem illarum literarum formatas, nostrum, Naturæ, Divino & gentium juri consentaneum Responsum, aperire & communicare vellemus, rogaremur, omnia antedicta collegialiter legimus & debitâ diligentia expendimus. Respondemus primò ad quæstionem IV. hac ratione; licet omnes illi, quorum fama & existimatio læsa est, calumniatores & diffamatores suos regulariter coram Iudiciis convenire & ibidem jus suum & persequi & expectare & debeant & soleant; tamen, quoniam Respublica, cui Titius est subiectus, Romana iura non recipit, atque adeò citationi subsidiali, ad Titium ex Imperio secundum L. diffamari facta, locum relinquere noluit; & aliàs nemo, cujus fama & existimatio læsa est, præcisè ad actionem Iudicalem est obligatus; Domino Consulenti Hesso omnium optimè & tutissimè consultum est, ut illatas sibi atrocissimas injurias depellat, vel exponendo veritatem negotij publico aliquo scripto, Apologia Titij

opposito; qui modus Iuri conveniens & praterea eruditis etiam exte-
 ris apud plerosque populos frequens; vel etiam objiciendo crimen per
 modum Retorsionis; quia licitum hoc est facere, cum moderamine in-
 culpata tutela juxta ordinem charitatis, & juri naturali & divino
 minimè est contrarium. Hæc ratione diffamati innocentia ostendi,
 ejus honesta fama & existimatio defendi, & hoc ipsum omnibus il-
 lis provinciis & regionibus, in quibus tantopere diffamatus est, pub-
 licè demonstrari potest. Quod verò ad reliquas, primam puta, secun-
 dam & tertiam, quæstiones attinet, ad eas ita de jure respondemus;
 Quamvis insimulationes falsi, furti & similium, quas Titius contra
 Hessum publico scripto evulgavit, hoc ipso fidem non mereantur,
 multò minùs sint probata, neque Hessi fama & existimatio per eas-
 dem fuerit læsa; quod fundamentum fama in honestate morum &
 vitæ probitate aliisque qualitatibus consistens, etiam atrocissima in-
 juria evertere nequeant: & porro, nemo teneatur negativam proba-
 tionem in se transferre, sed potius pro Hesso fortissimè præsumptiones,
 ex principiis naturalibus dependentes, & relevantes ab onere pro-
 bandi, militent; quòd scilicet bona alicujus fama & existimatio in eo-
 dem statu mansisse, nec mutata censeatur, & quòd Præsumptio sem-
 per fieri debeat in partem meliorem; tamen sibi suæq; fama bene
 consulit, si, ut antè diximus, orbi innocentiam suam ostendat; quæ in
 favorem defensionis & innocentia, cum præsertim nullius criminis
 convictus sit, eò melius probari potest ex principiis status conjecturalis,
 quibus ostenditur factum non esse, quod asseritur, per conjecturas si-
 gnaq; & modos, quibus veritas ostendi etiam extra Iudicium potest,
 quoscunque sive artificiales sive inartificiales. Quocirca nullum est
 dubium, quin crimen falsi, quod nondum probatum est, per Notario-
 rum & Secretariorum Principum & Electorum Vidimationes Titij
 manuscriptæ Epistola & postea typis evulgata, etiam adversus sub-
 ditum Reip. extra Imperium constituta sufficientissimè sit enerva-
 tum: Quoniam & Notarij & superiorum & inferiorum Magi-
 stratum Secretarij jure gentium publicam merentur fidem; tum ob
 ju-

juramentum, quod ab illis ad officium praestatur, tum ob praesumptionem, quâ dolus & fraus in personis publicis abesse consetur, aut ab iis excluditur. Quemadmodum eadem ratione inculpatio etiam nondum probati furti per testimonia Medicorum, Consiliariorum & ipsius Serenissimi; nec minùs etiam ceterae accusationes per Magnatum literas vocatorias, & Academiarum, in quibus Hesus literis operam dedit, honesta testimonia satis sunt depulsa. Quoniam ubique & in Imperio & extra id apud omnes populos ejusmodi Testimonia, praesertim publico sigillo munita, probatam fidem merentur, & in dubium vocari non possunt. Ita de Jure. In fidem Facultatis nostrae Sigillo hoc Responsum manivimus. Per scriptum Helmstadij die XIX. Junij Anno clc lxc LIV.



Decanus, Senior, & ceteri Doctores
Facultatis Juridicae
ibidem.

(Lit. K.) Responsum Facultatis Coloniensis
ad Rhenum.

Postquam Nobis, Decano, Seniori & reliquis Doctores Professores Ordinariis utriusque Facultatis Juridicae in Universitate S. Imperij Liberae civitatis Coloniensis ad Rhenum, praemissa Facultati species unâ cum quaestionibus ex eâ deductis & Responsio Juris Inclita Facultatis Juridicae Helmstadiensis transmissa esset, insertis precibus, ut & Nos nostram sententiam, juri conformem, de eâ aperiremus; in concilio nostro ad hoc legitime congregato omnia debita diligentia perlegimus, & cum singulari cura expendimus. Respondemus breviter de jure; Quod in hoc presenti crimine divulgationis libelli famosi per Imperium Romanum Author illius tam ex l. difsamari civiliter, quàm ratione delicti criminaliter in dicto Imperio accusari & ibidem processus servatis servandis contra ipsum institui & formari possit; Cum talis libelli famosi Author, ubi libellus sparsus est, ibi delictum commississe censeatur, & consequenter tam in loco delicti

licti quàm domicilij, aut ubicunqve pro tempore reperitur, forum for-
 tiatur: Est enim crimen illud capitale in jure admodum detestabile
 & exosum, ut quotquot reperti fuerint Schedulas & similes char-
 tas detractorias componere, aut valvis affigere, aut plateatim sparge-
 re, tanquam diffamatores publici puniendi sint capitaliter gladio ul-
 tore, & potest per quemcunqve ad Iudicium deferri: Neque refert,
 si ve ipsemet, an per alios talem famosam scripturam scribi, edi, spar-
 gi aut divulgandi curaverit. Quoniam tamen processus ille suis diffi-
 cultatibus non carebit, sicuti & parvi effectus erit, cum diffamans in
 Imperio non resideat, neque bona forte possideat, adeoque sententia
 contra eum vix aliter, quàm per concremationem libelli famosi exe-
 cutioni dari possit; Insuperq; ex Missivâ appareat, Dominum Con-
 sulentem pro nunc potius inclinare, ut doceatur, qualiter extra judici-
 um fame sue & existimationi (quæ tamen per talem libelli famosi
 divulgationem ladi non potuit, juxta l. uni. C. de libell. fam. in verb.
 hujusmodi autem libellus alterius opinionem non ladat) contra ta-
 lem diffamantem consulere possit; Sic Nos breviter cum Dominis
 Iuris-Consultis Helmstadiensibus in eo convenimus, quòd duplici viâ,
 jure permittente id commodè fiat: Una est, si ad modum Apologica De-
 fensionis contrario scripto crimina objecta per diffamantem sibi fal-
 sò afficta esse demonstrat; & licet Dominus Consulens de jure non
 teneatur, innocentiam suam, quam de omnibus Iura naturalia, divi-
 na & Humana præsumunt, probatione aliquâ ostendere aut confir-
 mare, neque ulla diffamatio aut accusatio cujusque viri boni exi-
 stimationem & bonam famam ledere possit; si enim accusare suffice-
 ret, quis innocens esset? tamen ad detegendam apertius adversarij
 calumniam, bene faciet, si Documenta in facti specie mentionata, quæ
 propter tum Personæ Principis, aliarumq; in publicis Officiis constitu-
 tarum Authoritatem & fidem, tum etiam propter sigilla publica, ne-
 dum in hoc rudo diffamationis casu, sed tam in quàm extra judici-
 um pro Innocentiâ Domini Consulentis astrucnda, plenissimè conclu-
 dunt, adjungat; cui scripto Protestatio subnecti poterit; quòd actionem
 sibi

sibi competentem contra adversarium loco & tempore congruis inten-
tandi per expressum reservet, & quod, adversario extra fines Roma-
ni Imperij constituto, adeoque difficillime conventionis, nulla fatalia
de jure sibi currere possint, aut debeant; Vel si altera via magis pla-
cet, poterit loco Protestationis per modum Retorsionis adversario, uti
manifesto Calumniatori, vitia & crimina objecta in sinum ejusdem
retorquere; Et scriptum hoc, ubicunque locorum libellus diffamato-
rius sparsus, pro conservatione fama & honoris Domini Consulantis
contra conficta sibi crimina publicari & evulgari, imò etiam, si com-
mode fieri possit, ipsi diffamanti vel per Epistolam vel alio modo insi-
nuari. Atque sic ad prædictas Quæstiones breviter de jure respon-
dendum duximus, saniori interim Iudicio semper salvo. Nos De-
canus, Senior Cateriq; D.D. Professores Ordinarij in almâ Universi-
tate Coloniensi. In cujus rei fidem majus nostrum Sigillum presen-
tibus imprimi jussimus. Actum & conclusum die vigesima Au-
gusti, Anno à Christo Nato millesimo sexcentesimo quinquagesimo
quarto.



(Lit. L.) Responsum Iuris Consultorum Ingol-
stadiensium.

EX literis, Nobis Decano cæterisq; Doctõribus & Professoribus Fa-
cultatis Iuridicæ in Electorali Universitate Ingolstadiensi, im-
plorandi Responsi nostri Iuridici causa huc missis, nec non, quoad
Facti speciem unâ cum annexis quæstionibus, in Facultatis nostræ
Consilio debitâ cum attentione prælectis, percepimus, quod Titius &c.
(hîc tantum otij curæq; sibi supsit laudatissima hæc Fa-
cultas, ut integram Casûs Relationem à capite ad calcem

verbotenus repetiverit, quare ne actum agerem, inconsultum duxi illa omnia ac singula fortè cum Lectoris tædio hîc inferere, cùm suprâ in Facti specie (sub lit. H.) hoc negotium jam abundè præstitum sit. Ergò, quod res est, solennem responsi hujus formam Lectoris oculis atqve animo saltim subjiciam, quæ ratione principalium membrorum ita habet:)

Re itaque accuratè perspectâ & diligenter perpensâ, quantum ad primam, secundam & tertiam quæstiones attinet, respondeamus de jure, quòd Dominus Consulens eaqvidem haud malè fecerit, dum repellendæ vel tandem illata sibi injuriæ causâ, adhibitis certis adminiculis Juris contra suum adversarium in omnem eventum se ita munivit. Quoniam verò Probatio regulariter nullo modo iis incumbit, qui aliquid negant, sed illis tantum, qui rem aliquam in medium proferunt & affirmant (quemadmodum presenti in casu Titius fecit) per text. apert. in l. Actor Cod. de probat. junctâ L. eum verò qui. 2. ff. eod. Quare præter rem fore arbitrati sumus, si diutius hisce quæstionibus immoraremur. Injuriantem nihilominus monemus, ut is viderit, quomodo tam turpes & graves suas contra Dn. Consulentem sparsas injurias probare velit aut possit, cùm præsertim delicta non præsumantur, sed quilibet in genere bonus censeatur, donec contrarium probetur, teste Alciat. de præsumpt. reg. 2. per text. in c. dudum extr. de præsumpt. cui add. L. fin. ff. ad leg. Jul. repetund. L. meritò si. ff. pro socio, ubi Gottofred. in not. & L. semper 56. ff. de reg. Jur.

Ad primariam verò & ultimam quidem Quæstionem respondemus. Licet Icti inter scriptam injuriam, famosum libellum & diffamationem ita distinguant, & doceant; Casu, quo aliquid injuriosum scriptum fuit, quod pertineret ad despectum & contemtum nudum alterius, tunc id specificè injuriosam scripturam dici; sin verò per scripturam alicui tale, quod vergeret ad ejus infamiam, utpote, homicidium, furtum, adulterium, vel aliud notabile & famosum crimen dolosè objiciatur, eo casu id propriè famosum libellum appellari;
sin

sin denique aut ex errore, garrulitate, seu malignitate potius, quàm con-
 vicium dicendo, nonnulla quis spargit & divulgat, tum id pressè lo-
 quendo diffamationem esse ac vocari debere, per allegat. Iur. notat
 post Matth. Vvesenb. in paratit. ff. de injuriis & famos. libell. n. 19.
 Helfr. Hunn. in Colleg. suo crimin. disp. 2. ad conclus. 18. & 85. nec non ab
 eodem citatus Lud. Gilhaus. in arbor. Iudic. crimin. de injur. & fa-
 mos. libell. tit. 34. Harprecht. ad § 1. Inst. de injur. Bocer. & alij & c.
 adeoque Apologia illa, contra Dn. Consulentem sub nomine Titij edi-
 ta, nostrâ quidem mente nullatenus pro simplici aliquâ diffamatio-
 ne, sed pro turpi & infami libello famoso habenda fuerit, Dominum
 Consulentem nihilominus hoc in casu legitimo Legis diffamari reme-
 dio rectissime usum esse, licet de naturâ suâ diffamantem ad ipsius
 diffamati forum trahat, adeo quidem, ut nec privilegium fori atten-
 datur, sed extra imperium quoque constitutus rectè, ut sic, ad ipsius
 diffamati Iudicem citari queat, veluti secundum text. in L. diffamari
 Cod. de ingenu. manumiss. & ordinationem Camera part. 2. tit. 25.
 testatur Andr. Gail. Pract. obs. lib. 1. obs. 9. n. 7. & obs. 11. n. 2. qui ul-
 terius obs. 12. docet, quòd diffamanti post binam Citationem silentium
 imponi valeat & c. At verò ipse Dn. Consulens exiguam ejus vim
 sive efficaciam hucusque satis expertus est, unde facile nobis imagina-
 ri possumus, licet etiam post secundam emissam citationem predicto
 Titio silentium perpetuum imponeretur, presenti tamen casu nostro,
 Domino Consulenti non satis aut sufficienter inde prospectum aut
 consultum fore, quia nempe scriptura seu jam divulgata Apologia
 actum habet permanentem, & loqui semper censetur, ut diutius longè
 scripta, quàm vulnera inherere, affirmet cum cit. Andr. Gail. Practic.
 observ. lib. 2. obs. 104. n. 3. per text. in L. Adriani Cod. de hereticis.
 & L. quaedam §. numularios ff. de edend. & c. Lud. Gilhaus. in arb.
 Iudic. crim. cap. 2. cit. tit. 34. de injur. & famos. libell. n. 15. & c.

Salvo itaque aliorum iudicio existimamus, quùm rebus ita
 stantibus, nec è mente nec re Dn. Consulentis hìc sit, viam Iudiciariam
 (cui soli tamen ille vi predicti mediij, vel mediante actione injuria-

rum, quam hâc in parte non minus Civilem & perpetuam esse contra Fachin. Contr. Jur. lib. 9. cap. 9. rectè statuit præter Mynsing. respons. Jur. decad. 6. resp. 59. n. 10. supra citatus Helfr. Hunn. disp. 2. Concl. 81. cum allegat. Matth. Berlich. dict. part. 3. Concl. 69. n. 4. & 55. cæterisq; ibidem relatis DD. se submittere cogeretur) porro amplecti aut prosequi, nullum ipsimet convenientiorem adhuc superesse modum (ut quis actionem injuriarum evadat, sumptibus magnis parcat, & nihilominus tamen honorem & famam seu existimationem conservet) quàm si legitimum Retorsionis remedium tanquam expeditissimum, & contra quasunque personas similes verbales injurias proferentes competens, teste jam allegat. Berlich. dict. part. 5. Conclus. 64. n. 18. & 57. hoc loco apprehendat, gravissimasq; illas, libello famoso contra se effusas injurias, per quandam Anti-Apologiam, in quâ ipse Dn. Consulens omnia ac singula Testimonia atque Documenta innocentie suæ satis illustria, junctis simul aliis remediis juris, in honoris famæ atque existimationis suæ illibata defensionem, simul edere poterit, in Adversary sui sinum retorqueat, eumq; ipsum tamdiu pro infamiali homine habeat, donec ille probatas injurias legaliter probaverit. Nec inconsultum foret, si Dn. Consulens Apologiam suam publicè impressam, non solum dictæ illi Reipublicæ Exteræ insinuaret, sed & ad alia hujus rei conscia loca, passim divulgando, transmitteret.

Non consideratis iis, quæ cum Andr. Gail. Practic. obs. lib. 2. obs. 100. & obs. 101. Mynsing. respons. 7. ac 59. n. 20 & c. forsitan hic inseri possent, quòd statim in principio & in continenti taliter agere decuerit, eò quòd dictum retorsionis remedium sit species quadam defensionis, & sic locum habeat in continenti, nec non ex postfacto intentatū vindictam sapiat, per tradit. DD. & Jacob. Cujac. lib. 5. obs. 18. & c. Quandoquidem Ictorum non pauci, & vulgò quidè, juxta communem praxin & receptam consuetudinem statuunt, quòd Retorsio etiam inter absentes, & quidè ex intervallo, non solum ab ignorante prius, sed etiam qui ab initio scivit & c. institui possit, veluti docet in terminis post Obrecht cap. 2. n. 16. Matth. Berlich. practic. Conclus. part. 5.

CON-

concl. 64. n. 22. & 32. Ioh. Harprecht ad § 12. Instit. de injur. & alios complures nostros, Henning. Kenneman, in tract. sing. de Jur. Retors. part. 3. ad thes. 44. lit. D. idemq. tradit, quamvis contra jus scriptum scilicet hoc esse fateatur, Reinh. Bachov. in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 30. th. fin. de injur. presertim cum litera scripta velut perpetua semper manere ac loqui, & plus ledere, quam nuda verba, intelligatur, secundum jam prius deducta. Nec ullo modo porro hic obstat, quod Titius ipse non composuerit libellum famosum, sed per tertium aliquem compilari eundem curaverit, cum sit vulgata juris regula: Quod quis facit per alium, per seipsum facere videri, juxta L. hoc jure 152. §. 1. & l. is damnus 169. ff. de reg. jur. nec non C. qui facit. 72. eod. in 6. Ac proinde in tali casu contra utrumque illorum actionem injuriarum locum habere, docet ultra sepe citat. Hunn. allegat. disp. 2. concl. 64. & Matth. Berlich. dict. part. 5. concl. 67. n. 22. & 23. cum seqq. Lud. Gilhaus. in arbor. iudic. crimin. cap. 2. allegat. tit. 34. n. 69 per text. in L. non solum 11. §. procubiis ff. de injur. & famos. libell. Tantum est, quod ad propositas Nobis quaestiones, salvo tamen cujuslibet rectius sentientis iudicio, de iure respondendum fuisse, unanimiter inter nos conclusimus. In cuius rei fidem appresso Facultatis nostrae Sigillo majori hac ipsa confirmari iussimus. Actum in Consilio Facultatis Iuridicae Ingolstadij ad ipsas Calendas septembris, Anno Millesimo Sexcentesimo Quingvagesimo quarto.

L. S.

ET verò, quum illo Iure, quod natura omnium mortalium cordibus insculpsit; & quod consensus Gentium usu firmavit; & quo Deus immortalis in eâ, quam ipse pro immensâ suâ sapientiâ instituit, Republicâ Hebræorum cives suos uti voluit; quodque mundi servator Christus noster

ster

ster non sustulit; sed ab Apostolis ejusque discipulis & horum successoribus ad nostra usque tempora constanter observatur; quod etiam à Canonico & civili, imò omnium populorum & Gentium Iure sancitur; Doctrinâ præterea Moralium Doctorum & Jurisconsultorum confirmatur; injuriarum, calumniarum, mendaciorum, non tantum licita, sed justa & necessaria sit persecutio pariter & vindicatio; sole meridiano clarius est, me neque temerè neque præter jus fasque primò quidem ad actionem injuriarum; & quum eam parum profuturam intelligebam, ad hanc Apologiam adornandam pervenisse. Quamvis enim Ego & meus adversarius diversis Majestatibus simus subjecti, propterea tamen jus mihi non poterit denegari. Non tantum enim inter cives, sed peregrinos quoque justitia administranda est, uti exempla plurimorum populorum in propatulo sunt.

Natura enim inter homines cognationem quandam instituit, ob quam hominem homini insidiari nefas esse credit Ictus Florentinus. (lib. 3. ff. de Iust. & Jur.) Idem exprimit Aristoteles, (lib. 8. Eth. c. 13.) unicuique homini jus quoddam esse videtur erga unumquemque qui cum ipso legis ac fæderis esse particeps potest. Sanxit id quoque disertim Deus Ter Opt. Max. in suâ Republicâ: Severè enim ait; (Levit. 19. v. 13) non facies iniquitatem in judicio, non suscipies faciem pauperis, neque honorabis faciem magni; in justitiâ judicabis proximum tuum. Quod de peregrino quoque intelligendum esse, mox ex versu 33. ejusdem capituli clarissimè patet. Si autem, pergit, peregrinatus fuerit tecum peregrinus in terrâ vestrâ, non opprimetis illum. Tanquam indigena ex vobis erit peregrinus, qui peregrinatur apud vos, & dilige eum sicut te ipsum; quia & vos peregrini fuistis in terrâ Egypti: Ego Jehovah Deus Vester. Idem repetitur: (Deuteron. c. 10. v. 18.) Faciens judicium pupillo & viduæ; diligens item peregrinum, dando ei panem & vestimentum. Diligite itaque peregrinum, quia peregrini fuistis

istis

istis in terrâ Aegypti. Clarissimè omnium; (*Deuteron. 24. v. 17.*)
Non pervertes iudicium peregrini, pupilli, neque capies in pignus ve-
stimentum viduae. Imò maledictus est secundum justissimam
 immortalis Dei legem, quisquis peregrini iudicium perversit.
 Verba Severissimæ legis sine horrore legi non possunt
 ab omnibus ijs, qui peregrinis vel denegant, vel protrahunt
 iustitiam. *Maledictus est* (*Deus ait Deuteron. 27. v. 19.*) *qui per-*
vertit iudicium peregrini, pupilli & viduae & dicet universus popu-
lus Amen. Ne se mortales ingenti hoc scelere, quod Deus
 nostro tantoperè detestatur, contaminarent, idem per Zacha-
 riam Prophetam repetivit: ait Propheta; (*Zach. c. 7. v. 9.*) *sic dicit*
Iehovah exercituum, dicendo; iudicium verum iudicate & misericor-
diam ac miserationes facite quisq; cum fratre suo. Viduamq; & pupil-
lum Advenam & pauperem ne opprimatis.

Quid clarius? quid evidentius? quid severius etiam edi-
 ci unquam posset? Iam ut nemo mortalium, qui quidem
 verum Deum agnoscit, ab huius divinæ Legis sanctione se
 eximere potest, ita non spero Serenissimâ Venetorum Rem-
 publ. quæ non tantum verum Deum à primâ sui origine co-
 luit, & hodiènum colit, sed ipsius quoque utrumque fœdus
 & priscum & novum religiosè cum omni cœtu Christiano-
 rum veneratur, eidem esse adversaturam. Quin imò divi-
 num hoc institutum ex Republ. Hebræorum suum quoque
 certatim fecerunt cultissimi quique populi, etiam ij, qui di-
 vinæ revelationis luce non fuerunt collustrati. Non tan-
 tum enim in Aegyptiorum, Laconum, Atheniensium, & ali-
 orum; qui propius instituta sua ex *Ἰσραήλ* illâ hausisse vi-
 dentur; sed in ipsorum quoque Romanorum civitate, pro-
 pagine illâ Græcorum, peculiarem Magistratum, qui pere-
 grinis jus dixit, fuisse, legimus. (*videantur, si lubet, Ioannes Sel-*
dennus lib. 1. de iur. nat. Gent. & civ. 1. secundum discipl. Hebr. Sinon
Petitus lib. 1. Ubbo Emmius de Rep. Lac. Livius. lib. 4. Dio Cassius l. 20.)

Qua-

Quapropter hæc jura, quæ à naturâ sunt profecta, quæ Gentium usu inducta & roborata, quæ divinâ Lege firmata, non possunt non diversarum Rerumpubl. cives præsertim Christianos obligare. Imò exempla, quæ in Centilium historiâ legimus, in ruborem nos Christianos dare possunt, quòd ferè ab illis hæc in parte vincamur. Tradunt enim prophani scriptores ob denegatam peregrinis justitiam Numen vehementissimè commoveri, & populo deneganti gravissimas immittere calamitates. Notabile exemplum refert Plutarchus: (in lib. de Historiis Amat.) Vir tenuium fortunarum Scedasus nomine Leuctra habebat. Est is agri Thespiensis vinculus. Huic filiae duæ erant, quæ Hippo & Miletia, vel ut alij, Theano & Evexippe vocabantur. Erat vir humanus Scedasus, & quamvis in re parvâ hospitalis. Hic Spartiatis duos ad se divertentes excepit benignè. Quos puellarum amore captos à vi eis inferenda deterruit Scedasi comitas. Postero die Delphos, quo tendebant, profecti sunt: sciscitantiq; Apollinem, quorum de causâ venerant, retrò domum concessere, ac itinere per Bæotiam factò declinaverunt iterum ad Scedasi aedes. Ille fortè peregrè erat. Cæterùm filiae ex solito instituto hospites exceperunt. Qui puellas, quas deprehenderunt solas, per vim stupraverunt. Eas, cum viderent supra modum eâ contumeliâ infensas, peremerunt, abjectisq; in puteum recessere. Reversum domum Scedasum, ut puellas desideravit, omnia autem, quæ reliquerat, invenit salva, res suspensum habebat: dum admurmurante caniculâ, identidemq; ad eum recurrente, atq; ab eo ad puteum regrediente, coniecit id, quod erat, ac filiarum cadavera extraxit ex puteo. Ut verò intellexit, ex vicinis pridie visos, quos nuper hospitio exceperat, Lacedæmonios ad ipsum ingressos: illos facinus patrâsse conjecturam capiens ex eo, quòd nuper sine fine laudassent puellas, beatosq; dixissent, qui earum potituri essent nuptiis, Lacedæmonem ad conveniendum Ephoros profectus est. Ut appulit in fines Argolicos, appetente nocte ad cauponem quendam divertit; Eòdem quidam alius Senex

de-

declinavit ex oppido Oreo Hestiaeatidis. Quem gementem dirasque Lacedaemonijs imprecantem cum Scedasus audisset, requisivit, quid mali ipsi intulissent Lacedaemonij. Ille exposuit ei, sub ditione se Lacedaemoniorum esse: Aristodemum autem, qui ab Lacedaemoniis Oreum missus erat praefectus, multa saevitia exempla & improbitatis edidisse. Amans, inquit, filij mei, postquam gratiam nihil efficere apud eum potuit, ad vim est conversus, aggressusque eum ex palaestram abripere. Insistente ei magistro succurrenteque adolescentium caterva, in praesentiarum quidem recepit se Aristodemus. Postremo completam triremem adolescentem corripuit, trajecitque in ulterius littus, ubi eum stuprare aggressus est. Non permittentem jugulavit, regressusque Oreum, convivia agitavit. Quam re cito ad me delatam, postquam justa corpori solvi, profectus Spartam conveni Ephoros. Caeterum illi nullam mei rationem habuerunt. Quae ut accepit Scedasus, percussus est, suspicatus, nec se quicquam Spartiatis respecturos, exposuitque invicem hospiti suam calamitatem. Ille vero adhortabatur eum, ut ne adiret quidem Ephoros, sed repeteret Baeotiam, filibusque tumultum conderet. Haud paruit tamen Scedasus: Sed delatus Lacedaemonem Ephoros appellavit. Quibus rem leviter ferentibus, appellavit Reges, mox popularem quemque cum lamentis. Cum autem nihil proficeret, volitavit mediam per urbem, manus ad Solem protendens: Hinc terram pulsans, furias ciebat, ad ultimam mortem sibi conscivit. Post tamen supplicia Lacedaemonij praebere. Nam ut rerum sunt per totam Graeciam potiti, urbibusque imposuerunt praesidia, Princeps Epaminondas praesidium, quod Thebis erat, contrucidavit. Eo nomine arma inferentibus Lacedaemonijs Thebani ad Leuctra occurrerunt, auspiciis loci secuti: quod ante etiam ibi asseruissent se in libertatem; quando ab Sthenelo in exilium Amphiction pulsus Thebas se contulit: ac cum tributarios invenisset Chalcidensibus, eos vectigale exemit Chalcedonte Eubaeensium rege interfecto. Tunc ergo apud ipsum Scedasi filiarum tumultum Lacedaemoniorum exercitus, ingenti clade totus fusus fugatusque est. Fa-

ma est, ante conflictum Pelopidi uni ex Thebanarum copiarum ducibus, oblatis fœdis ostentis perculso visum in somnis Scedasum, qui eum bono animo esse juberet. Nam signa Lacedæmonios ad Leuctra movere sibi & filiabus suis pœnas soluturos. Fride autem quàm signa cum Lacedæmonijs conferret, equæ candidum pullum apud virginum sepulchrum mactari praecepit. Pelopidas confidentibus etiam Tegeæ Lacedæmonijs, Leuctra misit investigatum earum sepulchrum, monstratoq; ingenti spe elatum copias eduxisse ac victoriam retulisse. Quapropter sapienter Plato. (in Dial. V. de LL.) Fermè enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata præ illis, quæ inter cives committuntur, ultori Deo curæ sunt. Nam cum peregrinus amicis cognatisq; careat, majorem & apud Deos & apud homines meretur misericordiam. Quare qui magis ulcisci potest, is ad ferendum auxilium est paratior. Potest autem maxime, hospitalis cujusq; Dæmon ac Deus, hospitem secuti Iovem. Diligenti igitur cautione cogitandum cuiq; , cui nonnihil est consilij, ut innocens ab injuriâ in peregrinos semper vivat. Hæc gentilium sententia de justitiâ peregrinis administrandâ. Nos Christiani an sine rubore aliter sentire, nedum agere possumus? Si nos amor justitiæ non commoveret, certè insignis maledictio, quam Deus Ter Opt. Max. eam violanti minatur, ab hoc genere injuriarum nos deterrere debebat. Quapropter cum meus adversarius Reipublicæ justæ, juris honestatisq; ve amantissimæ, & Legum, quas immortalis Deus sanxit, quibus causa mea potissimum nititur, observantissimæ, imò (quod caput) Christianæ sit subjectus, de justâ atrocissimæ mihi illatæ injuriæ vindictâ, nullus dubito. Hinc diversæ Reipublicæ, in quibus vivimus, jus meum non impedire, multò minùs denegare poterunt. Ut verò ad ipsa mendacia accedam, Tria eorum potissima sunt capita, quorum falsitas à me solidè erit ostendenda; scilicet (1) Crimen falsi (2) Furti (3) Pseudochymia, Impostoris & Vagabundi Erronis.

I. De


I. De Crimine Falsi.

Epistolam illam Tackenij de famoso liqvore Alcahest ad primarium quendam Germaniæ Principem missam esse, cum iteratâ petitione, ut imprimeretur, suprâ ipsis Tackenij literis satis fuit ostensum. Quùm verò voluntati Tackenij satisfactum, isqve ab aliis fortè monitus vidit se valdè dedisse turpiter, consilij ipsum poenitere coepit. Literis d. XXI. Maij M. DC. LII. Venetiis ad me datis, Viennæ demum, cùm apud D. D. Managettam pranderem, Mense Julio ejusdem anni mihi redditis, rogat, ut, si Epistola nondum impressa, supprimatur; Verùm jam tum lucem aspexerat, & extra meam potestatem in manibus aliorum, qui ad editionem, volente ita Authore, me impulerant, illa versabatur, adeoque nimis serò petebat. Quùm itaque vidit, infectum fieri non posse, quod jam factum erat, & præsertim in illâ re, cujus opinionem quàm maximè ambiebat, multò factus est iratior: Et hoc quidem naturale est. Multò n. flagrantiori accenditur irâ, qui contemnitur propter id bonum, quo vult quidem videri præditus, reverà autem ab eo abest; quàm is, qui sibi conscius est, se illo satis superque esse instructum, licèt id fortè ab aliis præsertim imperitioribus vocetur in dubium. Elegantissimè Aristoteles; (*lib. 2. Rhet. c. 2*) *Multò autem magis irascuntur, si suspicentur, ea, quibus ornati videri volunt, sibi non inesse, aut omnino, aut non valdè, aut etiam, se tales non videri. Quòd si se egregiè instructos putent iis bonis, in quibus punguntur, quid in se dicatur, non laborant.* Quod verè accidit Tackenio. Cùm enim, quam eruditionis opinionem affectabat, publicatione Epistolæ profuderit omnem; saltim non in furorem versus est; & cùm aliud effugium reliquum videt nullum, en mihi crimen Falsi impingit, audacissimè scribens *calamo suo mercenario; me de ipsius Epistol. rum*

fragmentis copiam (non verò, ut Notario imposuerim, Autographum ipsum) de liqore Alcahest à me (si Diis placet) multis intermixtis & appositis erroribus, tam contra Syntaxeos præcepta, quàm contra Orthographiæ observationes impingentibus, mutatam, variatâ, falsificatâ, nec non cum annexâ aliâ injuriosâ & confictâ, quasi à se ita conscriptâ &c. typis publicè excutiendam (excudendam scripsit ejus Magister, verùm is non intellexit) dedisse. Item. (p. 6. in Apolog.) Nonne capitale esse noveras, falsa sub alieno nomine in vulgo spargere? Contra detrectatores quid divina, quid humana Jura statuunt ac præcipiant? his tamen cognitis perspectisque omnibus, adeò tuus odio, irâ, & invidiâ aestuabat animus, ut contra omnem prudentis viri discretionem, millenas calumnias & convitia inaudita in me voracis Harpyæ instar expueres, conceptam meam spurcissimo ore polueres Epistolam. (p. 9. Apol.) Item. (p. 8. Apol.) Falsarium: Errores falsariorum more inserere. Ita quidem is more suo factis impudenter. Verùm atrocissima est injuria, quam hîc mihi impingit. Cùm verò effrons hic homo rationibus constringi aut impudens os sibi obturari non patitur, ea remedia, quæ omnes gentes cultiores & probant & usurpant, non sine gravi sumtu adhibere coactus sum, quibus evidentissimè ostenderem; omnia illa, quæ de crimine Falsi adversarius meus ad excusandum summam suam ruditatem & ignorantiam chartis illevit, putidissima esse mendacia. Nempe illorum virorum, qui juramento obstricti sunt ad cognoscenda ejusmodi scripta & instrumenta, operâ usus sum, qui sanctè testantur, me autographum, non copiam, ut ille clamat, Censori obtulisse, quos inter est Cæs. Majest. juratus Notarius, Iohannes Ledererus V Vittebergensis Saxo, qui legaliter à me rogatus & instanter requisitus suâ manu discrim id fatetur, & signo Notariatûs confirmat. En ejus testimonium;

(Lit.

Quod superiores precedentes latina litera vero suo, circo communia Grammatices & in specie Orthographia principia, tam vitiose scripto, mediante vero certa spectabili persona mihi communicato Originali, pravia diligenti Collatione habitaque, fideli auscultatione, de verbo ad verbum, de Syllaba ad Syllabam, de litera ad literam, de commate ad comma, sicq; de puncto ad punctum, ad amussim quasi correspondeant, attestor sub hac propria mea manus subscriptione, ut & legalis Notariatus signi hereditariiq; sigilli mei impressione. Actum Hamburgi 20. Martij Anno 1652.



Iohannes Ledererus Wittebergensis Saxo, Caf. jurat. Notar. publ. legaliter rogatus atq; instanter requisitus. (L. S. propr.)

Plenam vero Notarij publicum instrumentum mereri fidem ecquis unquam dubitat? Non tantum enim publica Authoritate ad hac est constitutus, sed religiosissimo insuper adactus sacramento. Sanè Ius Civile Romanum plenam ei fidem tribuit, ut apparet ex L. XVIII. Cum precibus tuis C. de probat. LXI. scripturas. C. Qui pot. in pign. Nov. XLIV. C. II. Nov. LXXIII. & aliis pluribus. Nec attendenda sunt fricæ, quas nonnulli Ictorum sine causa hinc neant, scilicet fidem plenam Notario quidem esse tribuendam, sed non nisi in territorio ejus, qui ipsum creavit, quem admodum vult Iacobus Bornitus, (l. 3. c. 10. de fid. Instrum.) Boërius, (decis. 242.) R. Roman. (decis. 103. p. 2. n. 17.) qui credunt Notarij Imperialis aut Apostolici Instrumentum in Franciâ seu Galliâ non valere. Quam tamen sententiam paulò aliter proponunt alij; quos inter est Felinus, (in cap. cum. Tabellio. num.

num. 16. de fid. Instr.) quem sequuntur ferè Canonistæ com-
 munitè in illud capitulum scribentes, Rota, (*decis. fin. per to-
 tam eod. tit. in noviss.)* Speculator, (*de Instrum. edit. §. r. stat. Fran-
 ciscus Marcus, (decis. 489.)* Philippus Portius (*l. 5. comm. opin.
 concl. 30. l. 2. obs. 71. n. 13.)* & alij plures: quorum rationes &
 textus expendere non est operæ pretium. Hoc nobis ex Icto-
 rum confessione sufficiat, Notario plenam fidem esse tribu-
 endam; cui Gailius adjicit, hanc communem esse plero-
 rumque sententiam: Nempe Notarium à summo Pontifice
 vel Imperatore, aut ejus Comite Palatino creatum ubique
 locorum, tam in terris Ecclesiæ, quàm Imperij, Instrumenta
 conficere posse, cùm hoc sit actus voluntariæ Jurisdictionis:
 cujus sententiæ testem quoque adducit Bartolum. (*in l. nec
 ei permitt. §. eorum. n. 7. ff. de adopt.)* Quam quidem argumen-
 tis legum, in quibus de actu voluntariæ Jurisdictionis agi-
 tur, stabilire conantur: & quidem ex his verbis; (*l. 2. ff. de Offic.
 Procons.)* *Omnes Proconsules statim, quàm urbem egressi fuerint, ha-
 bent Jurisdictionem; sed non contentiosam, sed voluntarium:
 & ecce manumitti apud eos possunt tam liberi quàm servi, & a-
 doptiones fieri. Apud Legatum verò (§. i.) Proconsulis nemo ma-
 numittere potest, quia non habent jurisdictionem talem. Item apud
 Procons: (l. 36. emancipari ff. de adopt. ff. de excusat. Tutor. §. i.)
 Emancipari filium à Patre quocunque loco posse constat, ut exeat de
 patriâ potestate. Apud Proconsulem etiam in eâ Provinciâ, quam
 sortitus non est, & manumitti & in adoptionem dari posse placet.
 Cui jungunt L. X. non solum §. 3. & qui in Testamento, quæ tamen
 parùm huc facere videntur. Scilicet hoc volunt: quemad-
 modum Præses Provinciæ clam apud Romanos ubique eti-
 am in aliis Provinciis, quàm suâ, actus voluntariæ jurisdic-
 tionis potuit exercere; ita quoque Notarius; quoniam omnium
 confessione Jurisdictionem saltim voluntariam habet, ubiq;
 vigore illarum legum suos actus exercere potest, & ubique
 ei*

ei credendum est. Verùm crediderim hâc probatione nos
facilè posse superfedere. Interim bene, quòd eos habeam
consentientes. Longè enim firmiùs ex jure naturæ, Genti-
um & divino, quod Serenissimam Venetorum Rempubl. &
ejus subditos æquè obligat, atque Imperium & ejus cives,
hæc omnia stabiliri possunt. Notarius enim non tantùm
publicâ Authoritate à Majestate constituitur; sed præterea
sanctissimo obstringitur juramento, se nihil scripturum, te-
staturum, aut publico Instrumento confirmaturum, nisi
quod verum esse cognoverit. Quod juramentum sanè
non homini, sed ipsi Deo immortalì præstari, non tantùm
ipse Deus in verbo suo revelato disertissimis verbis expref-
sit, sed ipsi Ethnici unanimi consensu agnoverunt. Bene Ci-
cero: (*l. 3. Offic.*) *Est jusjurandum affirmatio religiosa; quod aut*

affirmatè quasi Deo testi promiseris, id tenendum est. Sophocles;

Mens excitari jurejurando solet;

Ut bina diligenter evitet mala;

Culpari amicis & Deos offendere.

Deus enim in omni Juramento & testis & Ultor invocatur;
hinc Plutarchus: (*in quest. Rom.*) *Omne jusjurandum in diras*
desinit, si quis pejeraverit. Quod formulæ jurandi Veteribus
usitatæ satis ostendunt; nempe apud Livium hæc habentur;
(*l. 1.*) *Tu Iupiter ita illum ferito, ut ego hunc porcum.* & alibi; (*lib.*
21.) *Deos precatus, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum*
mactasset. Polybius & Festus hanc referunt; *Si sciens fallo,*
ita me Diespiter ejiciat, ut Ego hunc lapidem. Ulpianus etiam
hoc confirmat; (*l. qui per. ff. de jurejur.*) *qui per salutem su-*
am jurat, Deum jurare videtur. Respectu enim divini Numi-
minis jurat. Halicarnassensis; *Ultima fides inter homines tum*
Græcos tum Barbaros, quam nulla delebit ætas, est ea, quæ per jurata
pacta sponsores adhibet Deos. Quapropter sanctissimum hoc
vinculum creditum fuit ab omnibus, Gentibus etiam Bar-
ba-

ba-

baris, quo & fides & per eam Societas mortalium contineretur. Rectè Cicero; (l. 1. Off.) *Nullum vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt. Cui genuina Proprius scribit; (l. 2. de bell. Pers.) iusjurandum, quod ab hominibus habetur, omnibus ultimum atque firmissimum & fidei mutua & veritatis pignus.* Ita Ethiel de juramento. Audiamus jam, quid Deus ipse immortalis dicat? Nihil aliud vult summus rerum Rector, dum severè prohibet: (Exod. 20. v. 7.) *Nomen Domini Dei (populi Israëlitici) non esse in vanum assumendum.* Item gravi scelere se obstringere, quicumque pejeraverit; adeoque oblatâ ove vel caprâ, si potest; vel si tenuioris conditionis, binis turturibus aut pullis columbinis rursus expiandum esse. (Lev. 5. v. 4. 5. 6. 7.) *Si anima juraverit effutendo labiis ut malefaciat aut benefaciat, juxta omnia quæ temerè effutire solet homo jurejurando, id quod latuerit eum, ipse quoque rescierit, se deliquisse in aliquo horum. Si sic in aliquo horum deliquerit, confiteatur, quod eâ re peccavit. Et adducat Domino sacrificium pro delicto suo, pro peccato inquam suo, quod peccavit. Fœminam ex grege, ovem aut capram ad sacrificium pro peccato, & expiabit eum sacerdos à peccato suo. Si verò facultas afferenda ovis aut caprâ defuerit ei, afferat Domino pro delicto suo, quod commisit, duos turtures, aut duos pullos columbinos; alterum pro peccato, alterum ad holocaustum.* Longè clariùs, (Levit. 19. v. 12. Lev. 24. v. 12.) *Ne juretis per nomen meum nequiter; neque prophanabis nomē Dei, Ego tui Dominus.* Eodē libro blasphemans Deum, lapidibus obruitur ex divino mandato, à quo pejerans non multum abit. Odio enim se perjurum habere disertè Dominus ait; (Zach. 4. v. 17.) *Ne malum vel cogitetis quisquam adversus proximum suum & juramentum falsum ne diligatis; quoniam omnia ista, sunt quæ odio habeo; dicit Dominus.* Ex ipsius itaque Dei ter Opt. Max. confessione certissimum est, iuramenta Deo præstari, quæ etiam gravissimè vindicat, si perjurij scelere fuere foedata. Quam sententiam omnes in uni-

versum & prisci Patres & hodierni Theologi pariter & Icti
 & olim tradiderunt & hodie ambabus amplectuntur mani-
 bus. Veterum sententiam dicat S. Augustinus, qui ita: (Serm. 30.)
*Quid est aliud jurare, quàm jus reddere Deo, quando per eum ju-
 ras.* Modernorum Lessij verbis exprimemus: (lib. 2. cap. 42.) *Iu-
 ramentum nihil est aliud, quàm attestatio divini Numinis, vel in-
 vocatio divini testimonij, ad fidem faciendam & ultionem quoque
 expetendam.* Eandem multis rationibus & textibus Scri-
 pturæ confirmant omnes; nempe Alvarus, Pelagius, Domini-
 cus Soto, Navarrus, Menchaca, Ledesma, Alcozer, Quesada,
 Angles, Bellarminus, Bannes, Salon, Azor, P. Molina, Valen-
 tia, Rebellus, Emanuel Rodriquez, quos refert & sequitur
 Sanchez & alij. Ille Deus jam, cui ejusmodi juramentum
 præstatur, ob servandam Veritatem in Scripturis, instrumen-
 tis, attestationibus & reliquis negotiis peragendis omnibus,
 non tantum Germaniæ, ejusque Regno; sed toti terrarum
 orbi & per consequens Venetorum quoque ditioni præsi-
 det, omnesque, ubicunque terrarum fuerint constituti, peje-
 rantes gravissimè punit. Neque jurantem hâc tantum ob-
 ligatione constringit, ut si in Germaniâ juramentum præsti-
 tit, ibi velit saltem de veritate testari; si verò extra eam fue-
 rit delatus, licere ipsi veritatî vim facere. Ut enim Deus æ-
 ternus est & ubique terrarum; ita quoque obligatio illa, ju-
 ramento facta, ubique eandem vim habet. Nam quàm la-
 tè patet jurisdictio ejus, qui jurantem ad certum quid obli-
 gat; tam latè quoque sese extendit & obligatio & valor ju-
 ramenti. At Dei nostri imperium ubi terminatur? Qua-
 propter Juramentum Notarij non erit hoc vel illo loco,
 hâc vel illâ Republ. in quâ juravit, circumscriptum; sed ubi-
 que eandem habebit vim. Porrò quicquid conceptis ver-
 bis jurisjurandi secundum naturalem verborum significa-
 tum continetur, ad id omne jurans se obligat; Atqui in

formulâ jurandi Notariorum non habetur ulla distinctio inter res Civium seu subditorum Imperij & peregrinorum, sed simpliciter in omnibus negotiis ab iisdem requiritur veritas; Quocirca hâc ratione fides illa facta tecta manebit, Pone verò (quod tamen ex dictis nunquam concedendum erit) Notariorum Germanicorum Instrumenta tum demum fidem mereri, si in Germaniâ sunt confecta; nec hâc ratione fidem eorum elevabis. Hoc enim, de quo nobis quæstio est, in Germaniâ esse factum negare non potes, nisi simul inficias iveris, Hamburgum Germaniæ esse Emporium. Quomodo jam fidem hujus viri publicâ Imperiali autoritate constituti & sacramento gravissimo obstricti, testantis, Originale tuum cum descripto per omnia concordare, in dubium saltim vocare possis non video.

Ne verò quicquam prætermitterem, quod ad solidam Innocentiæ meæ defensionem ullo modo facere videretur, en, ne tu vel causam ulterius conquerendi, vel Lectores ullam dubitandi haberent & Serenissimum Electorem Brandenburgicum, & Serenissimum Cimbrorum Ducem, duo ingentia Germaniæ Columnina, quorum singula verba jurisjurandi instar sunt & habentur ab omnibus, unâ cum Nobilissimo Amplissimoque Hamburgensium Senatu in testimonium advocavi, quæ omnia integra apponam.

(Lit. N.) Copia Vidimationis Gottorpiensis.

Quod Exemplare præsens impressum Epistole famosi liquoris Alcahest cum Originali & manuscripto D. Tackeni collatum & revisum per omnia, de verbo ad verbum, commate ad punctum, (excepto Serenissimi Holsatiæ Ducis, Domini nostri clementissimi titulo, qui studio omissus est, cum nomine M. Adami Olearij, & quòd pag. 2. consideratio, ubi originale consideratio; pag. 1. docet, originale, decet; pag. 16. sublimantur, originale verò, sublimatur; pag. 18. ? ubi Originale; pag. 26. patricinio, originale verò, Patrocinio, le.

legat) congruum sit inventum & conveniens, hoc, ad instantiam, testatum facit, Serenissimi Ducis impressum Secretum. Actum Gottorpj die 11. Febr. 1653.



Eilhardus Schacht | Cancellaria & Iudicij aulici Secretarius.
man. propr.

(Lit. Q.) Cópia Vidimationis Electoralis Brandenburgicæ.

Quòd literæ hæ de famoso liquore Alcahest latino Idiomate impressæ superiores cum Manuscripto D. Ottonis Tackeny, ex Aula Gottorpiensi huc ad Nos perlato, habitâ diligenti & accuratâ collatione, per omnia, juxta Testimonium Gottorpiense, tam quoad viia Grammaticalia, quàm Orthographica, quibus Epistola ista à capite ferè ad calcem in ipso Autographo scatet, & quæ omnia ac singula denuò recensere supervacaneum ac tædiosum foret, de verbo ad verbum, sicq; de commate ad comma, de puncto ad punctum, conveniant, attestatur ad instantiam, Serenissimi Electoris Brandenburgensis Sigillum, & propriæ manus scriptio ac subscriptio



Ejusdem Electoralis Serenitatis Secretarij intimi

Ioachimi Friderici Molleri.

Colonia ad Spream XV. April. M DC. LIII.

(Lit. P.) Cópia Vidimationis Hamburgensis.

Universis & singulis, cujus status dignitatisq; fuerint, Nos Pro-Consules & Senatores Civitatis Hamburgensis, cum salutis plurimæ atq; officiosa nostræ erga unumquemque Voluntatis exhibitione notum facimus & significamus, presentem hanc copiam (NB.

L 2

est

est hæc illa copia, de verbo ad verbum ex Ottonis Tacke-
nij manuscripto Epistolæ de Alcahest descripta) factâ diligen-
ti collatione & observatis probè distinctionibus vero Originali, nobis
monstrato verbotenus & per omnia consentaneam atque conformem
esse, absque dolo malo. in fidem præmissorum Nos ProConsules &
Senatores prædicti hanc copiam Sigillo nostræ Civitatis Secreto com-
muniti jussimus. Actum die 24. Maj; Anno 1653.

(L.S.)

Ex speciali commissione spectabilis Se-
natus Civitatis Hamburgensis
Jacobus Rotenburg I. V. L.
ejusdemq; Reipubl. Protonotarius
subscripsit man. propr.

Aude, quæso, si vir es, hæc vel negare, vel in dubium vo-
care. Non potes, nec audes. Si tanta te dementia ce-
pit vel malitia occæcavit, ut & his omni exceptione
majoribus testimoniis fidem derogaveris, certò tibi persua-
de, summos hos Principes immanem hanc injuriam, quâ i-
pſos affeceris, nequaquam inultam esse passuros. Sanctiora
sunt hæc capita, religiosiora eorundem verba, quàm ut abs
Te sint profananda. Sperasti, me hominem privatum im-
punè à te lædi posse; frustra hanc spem tibi facis de sum-
mis his Monarchis, Dominis meis clementissimis, adversus
quos calcitrare etiam in bonâ causâ periculosum est, ne-
dum eos injustissimè offendere, aut gravissimâ afficere inju-
riâ. Neque verò quisquam mortalium te hoc facinus pa-
trantem amplius ferre posset; minimè verò omnium Sere-
nissima Venetorum Respublica. Privatos enim injuriâ af-
ficere, eorumque dicta & testimonia vera negare & in du-
bium vocare, injustum est, & poenâ dignum; ast publicam il-
lam fidem, quâ compages totius humani generis continetur,
la-

labefactare velle, facinus est, non nisi morte expiandum. Nec ejusmodi bestia (homo certè amplius non est) in ullâ Republicâ tolerari potest. Fundamentum enim Reipublicæ, dicente Tullio, *Fides* est, & præsertim illa *publica*, quâ vacillante, non potest non corruere ipsa Respublica; imò impedi commercium humani generis & consequenter tolli ejus societas. Cujus sanctissima vincula, omni tempore religiose ab omnibus gentibus observata, à Te, ô Tackeni, ad excusandam tuam ignorantiam laxari nunquam patietur Serenissima Venetorum Respublica. Quàm reverenter, quàm sanctè Prisci non de Regum saltim & principum, sed primariorum etiam virorum fide & senserint, & locuti sint, en te docebo. De Evagorâ Salaminis Rege Isocrates: *In verbis similiter pacta servabat, ac in juramentis.* Symmachus; (*lib. 10. Ep. 19.*) *Nunquam major spes, quàm in bonorum Principum sponsione.* Nicetas de Alexio Isaaci fratre; (*lib. 3.*) *Regum fides ante alia omnia ponenda est.* Cicero; (*pro Cornel. Balb.*) *Athenis ajunt, cum quidam apud eos, qui sanctè graviterq; jurasset, & testimonium publicè dixisset (ut mos Græcorum est) jurandi causâ ad aras accederet, unâ voce omnes Iudices, ne is juraret, reclamasse.* Non immeritò olim Augustus dicebat; *Bona fidei sum.* Eumenes verò; *Vitam se potius, quàm fidem positurum.* Certè enim secundùm Guntherum Ligurinum

— — *nudo jus & reverentia verbo*

Regis inesse solet, quo vis juramine major.

Hodiè certè de Regibus virisque Principibus dictum est usitatissimum: *fidem eorum pro iurejurando valere.* Præterquàm enim, quòd Iuri Canonico videatur apprimè consentaneum; (*Can. in c. querelam, xra. de jurejur.*) de usu & consuetudine disertim testantur, Panormitanus, (*in c. ad aures, xra. de his, quæ vi vel met. caus.*) Iason, (*in l. 3. jurari ff. de jurejur.*) & Mynsingerus, (*obs. 17. cent. 1.*) Ita & prisci & moderni de fide

Principū. Num Tu, Otto, eam in dubiū vocare audebis, quam omne ævum tam religiosè est veneratū? Vis nostrorū? Electorū? Principū? Christianorum? Germanorum? quorum candor fidesq; fremente invidiā, præ reliquis gentibus omnibus toto orbe celebrata est & hodiernum prædicatur? Quanta hæc nomina? Quàm accuratè & quantā sollicitudine Holfaticū est præscriptū testimoniū, in quo omnes voces, quæ in authentico desiderantur, speciatim enumerantur: ut nemini amplius dubij quicquam superesse queat. Si jam secundum Callistratum: (*l. 3. ff. de testibus.*) *Testium fides diligenter examinanda est; adeoque in personā eorum exploranda erunt imprimis* *Conditio cujusque: utrum quis decurio, an plebejus sit; & an honestæ & inculpata vitæ, an verò notatus quis & reprehensibilis: an locuples an egens sit, ut lucri causā quid facile admittat: vel an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert: vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat: nam si careat suspicione testimonium vel propter personam, à quā fertur, quòd honesta sit, vel propter causam, quòd neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiae causa sit: admittendus est.* Quid quæso ipse de nostris dices? Quanta est horum fides? Non sunt Plebei, Otto, neque Decuriones, neque Barones, neque Comites; sed Principes, Electores; non sunt egeneri, adeoque lucro haud corruptibiles; neque tui Inimici, neque mei Amici. Major enim ipsorum fors est, celsior ipsorum status, quàm ut eò vel mea amicitia, vel tua inimicitia pertingere queat. *Inter subditum & Principem amicitia proprie non est,* inquit rectè Aristoteles, (*l. 9. Eth. c. 8.*) *nisi ea, quæ inter Deum & Creaturam.* Quid, quæso, jam quæres effugij? Id fortè, illa testimonia non esse Serenissimi Electoris & Principis, nec non Nobilissimi Senatūs Hamburgensis; sed me ea confinxisse; En stultitiæ tuæ indulgeo; sed ipse, quæso, judica, quantum ex hoc falso mihi immineret periculum? Num credis me hunc ausum, in his oris, quibus ipsi imperi-

tant,

tant, de gentem, unquam subiisse, & ipsorum Serenissimis nominibus Sigillisque cum tanto periculo fuisse ab usurum? Sed crede, me hoc fecisse; en facio liberrimam potestatem, (imò, ut facias, per Deum, si quem credis, rogo) provocandi sive ad Serenissimum Electorem Brandenburgensem, Dominum meum clementissimum, sive Serenissimum Ducem Cimbrorum Regentem ibidem, Dominum meum clementissimum, vel Nobilissimum Senatam Hamburgensem, ab iisque petendi, ut authenticum tuæ Epistolæ, quam me falsasse impiè mentiris, cum Exemplari impresso publicâ auctoritate conferatur; ut intelligas, oculis cernas, & manibus palpes, nihil additum, nihil immutatum, nihil transpositum, præter illa, quæ ipsi Secretarij intimiores specialiter recensuerunt, quæ tamen non à me, sed Typographo per incuriam inflexa sunt; de quibus tu non conquereris; nec etiam potes. Si fidis causæ tuæ, si lucem non fugis; si non meris mendaciis mecum agere instituis, en sequere consilium, ipse veni, aut instructum Procuratorem mitte aut saltem literas scribe, ut verum aliquando (si quidem adhuc dubitaveris; dubitare autem non potes, cum tuæ ruditatis tibi probè conscius sis) in lucem protrahatur. Nosti vias in Holsatiam ducentes; emensus es jam tum iter illud propter causas tibi notas, quare illud non suscipies famæ & existimationis tuæ tuendæ gratiâ? Idem unanimi consensu confirmant Collegia Iuridica, ad quæ causa hæc occultatis nominibus fuit transmissa. Helmstadienses Antecessores ita respondent;

(Fragmentum Responsi Iuris.)

Quocirca nullum est dubium, quin Crimen Falsi, quod nondum probatum est, per Notariorum & Secretariorum Principum & Electorum Vidimationes Titij manuscriptæ Epistolæ & po-

Et postea typis evulgata, etiam adversus subditum Reipublica extra Imperium constituta, sufficientissimè sit enervatum: Quoniam Et Notarij Et Superiorum Et inferiorum Magistratum Secretarij jure gentium publicam merentur fidem; tum ob juramentum, quod ab illis ad Officium prestatur, tum ob presumptionem, quâ dolus Et fraus in personis publicis abesse censetur, aut ab iis excluditur.

Colonienses ICTi ita habent.

(Fragmentum Responsi Facultatis Iuridicæ Coloniensis ad Rhenum)

Licet Dominus Consulens de Iure non teneatur innocentiam suam, quam de omnibus iura naturalia, Divina Et humana presumunt, probatione aliqua ostendere aut confirmare; neque ulla diffamatio aut accusatio cujusque viri boni existimationem Et bonam famam ledere possit; si enim accusare sufficeret, quis innocens esset? tamen ad detegendam apertius adversarij calumniam, bene faciet, si Documenta in Facti specie mentionata, quæ propter tum Personæ Principis, aliarumq; in publicis officiis constitutarum Authoritatem Et fidem, tum etiam propter sigilla publica, nedum in hoc nudo diffamationis casu, sed tam in quàm extra Iudicium pro Innocentiâ Domini Consulentis astruendâ, plenissimè concludunt, adjungat.

Ingolstadienses Antecessores hunc in modum statuunt.

(Fragmentum Responsi eorundem)

Quantum ad 1. 2. Et 3. quæstiones attinet, respondemus de jure; quod Dn. Consulens equidem haud malè fecerit, dum repellendæ vel tandem illatæ sibi injuriæ causâ, adhibitis certis adminiculis Iuris, contra suum adversarium in omnem eventum ita se munivit Et c. (quibus verbis etiam Vidimationes, Notariorum & Secretariorum aulicorum, nec non Protonotarij Reipublicæ, sic dictas subintellegerunt) & paulò post; existimamus &c. nullum

ipsimet (consulenti) convenientiorem superesse modum, quàm si legitimum Retorsionis remedium hoc loco apprehendat, gravissimasq; illas libello famoso contra se effusas injurias per quandam Anti-Apologiam, in quâ ipse Dn. Consulens omnia ac singula Testimonia atque Documenta innocentiae suae satis illustria &c, (quo ipso denuò etiam Vidimationes antè dictas includere volunt) simul edere poterit, in Adversarij sui sinum retorquet, eumq; tamdiu pro infami homine habeat, donec ille prolatas injurias legaliter probaverit.

Quoniam ex his omnibus luce meridianâ clarius patet, malitiosam calumniam, putidum esse mendacium, quod Tackenius in diversis famosi sui libelli locis scribit, me *Epistolam* ejus de famoso liquore *Alcahest* falsasse, testantibus non tantùm Notario, sed insuper Serenissimo Electore Brandeburgico, & Celsissimo Cimbrorum Duce, nec non Nobilissimo Senatu Hamburgensi, quorum Testimoniis veriora, locupletiora, sanctiora frustra speramus. Ego voce, quam ex intimo pectoris recessu expromere possum, maximâ Totum orbem terrarum inclamo, eumque Iudicem constituo, per Deum immortalem, per omnia sacra, per omnia Iura divina humanaque obnixissimè rogans, ut sepositis affectibus sincerè & candidè judicet, an vel suspicio aliqua falsi adhuc superesse queat? & annon mihi insignis injuria sit illata? Si corâ hoc Iudicio, ad quod demum provocare coactus sum, ullius culpæ reus argui possum, en fons ero; sin verò uti spero & confido, absolvar, Serenissimæ Reipublicæ Venetorum erit, diffamantem eâ, quam meritis est, afficere pœnâ, cujus justitiam & summam in eo, quod justum est, tuendo religionem, humilimè imploro: quò reliqui ejusdem farinae homines à conviciandi & calumniandi prurigine justâ severæ pœnæ magnitudine deterreantur.

Iam de FURTO.

Nondum hinc se sistit furor Adversarij, sed ut nequitia valde est foecunda, rabidi instar canis perguit, famam meam porrò allatrare & infamia hæc verba eructare. (p. 9. Apolog.) *Sed Attende, ne capitalium dum properas, ad furcam, quam ob multiplicia tua furta, multis ab hinc annis promeritus es, rapiaris. Detrectorem ne esse me credas, commissa furta tua, si audire placet, narrabo, quæ tamen hæctenus in imo pectoris mei absconsa latuerunt, nec provenissent unquam, nisi multiplices tuæ in me calumnia (quas tamen postquam rescivi, Epistolâ meâ fraternè avertere conabar, ut ipse Schvvalbachij coram doctis atque indoctis confessus es) violenter à me extorquerent. Silebo cetera. Sufficiat (ne me absque fundamento loqui, aut ex tua detractorum & impostorum farinâ me esse arbitraris) quòd ingentem aureorum summam à Serenissimo Electore Brandenburgico pia memoriae vanis de conficiendo potabili auro pollicitationibus, expiscatus fueris, ut in egenum tuum transmitteres marsupium, illudq; jam jam macie confectum refocillares. Proh Iupiter, quàm turpia & scelestæ hæc sunt mendacia! Sed heus dictator nugacissime, ut ad inventionem tantorum figmentorum potueris sufficere, ter aut sexies, imò decies aut centies succis purgantibus animum prius debuisses detergere, quàm cruda & cruenta hæc evomisses. Hem, pudeat te! An porrò quid eloquar, an fileam hinc, incertum penè est. **BONE DEUS!** Lingua obmutescit; crines stant; animus horret, ubi hujus injuriæ considero atrocitatem, & mendacissimi mortalium malitiam. Si enim secundum Ulpianum (l. 7. ff. de injur.) atrocitas æstimanda est ex personâ, tempore, loco & re, Tackeniana hæc omnium erit gravissima. Sive enim sp. ctes personam inferentem, sive eam, cui illata est, magnitudo injuriæ satis apparet; si verò locum & tempus, omnium maxima. Si enim tempore ludorum, & in conspectu Prætoris vel Magistratûs, alterius cu-*

jus-

jusdam facta injuria longè atrocior est eâ, quæ in solitudine infertur, ut Paulus disertè scribit, (*l. 8. ff. de injur.*) quid dicendum erit de eâ, quæ est mihi illata? Sanè hæc non tempore ludorum in Theatro Romano, ubi fortè aliquot millia hominum fuere congregata, sed coram totâ Europâ, imò in ipso Orbis theatro aliquot myriadibus hominum præsentibus, in conspectu non Prætoris, sed ipsius Imperatoris, Electorum, Principum & serenissimæ Reipublicæ, cui ipse subiectus est, infamibus suis chartis me lædere non erubuit. Si rem ipsam videas, quanta hæc est, proh Deum immortalem! Quamquam enim *re atrocem injuriam tantum Labeo dicat, (l. 7. §. 8. ff. de injur.) si vulnus latum vel os alicui percussum; tamen Ulpianus (l. 9. in pr. ibid.) ex sententiâ Pomponij refert, etiam sine pulsatione atrocem injuriam posse dici, personâ atrocitatem faciente.* Verissimè Cicero. (*pro M. Font.*) *Sed ego ita existimo, quò majus crimen fit id, quod ostendatur esse falsum, hoc majorem ab eo injuriam fieri, qui id confingat. Vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus Veritati relinquatur.* Quantum, quæso, crimen est, furti innocentem accusare? Quid homini virtutis & honestatis amanti possit esse gravius? Infame enim vitium hoc est, cui nullus ferè excusationis color induci potest. Reliqua vel fortitudinis specie, vel amoris vehementiâ, vel iræ magnitudine excusantur; scilicet homicidium, adulterium & vulneratio; verùm furto in homine ingenuo & libero nihil est turpius, nihil indignius, ut rectè censet Cicero. (*in orat. Verr. 2.*) Certè nostris moribus non nisi furcâ & patibulo expiari potest. Quapropter infamis hujus vitij nota omni modo erit depellenda. *Qui enim (monente Cicerone I. Off.) non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ (præsertim grandiori) tam est in vitio, quàm si parentes aut patriam aut socios deserat. Imò ejusmodi homo injustè facit, & injuriam, quam non repellit, si potest, adju-*

are videtur. Et verò quoniam ex optimi Imperatoris rē-
 sponso, *accusare non sufficit*, sed probare, cum aliàs nemo mor-
 talium foret innocens; illo iure, quod Natura omnes morta-
 les docuit, quo omnes populi reguntur, urgeo primùm meū
 Adversarium, ut probet, à me *multiplicia furta esse commissa*,
 hujus rei idoneos testes omni exceptione majores produ-
 cat, nominet locum, ubi illa facta, designet res à me surre-
 ptas, tempore adducto, quando id fuerit factum; & reliqua o-
 stendat, quæ ad probationem flagrantis hujus criminis de ju-
 re non civili saltim, sed omnium populorum & gentium
 requiruntur. Si id non potest, ut in æternum non poterit,
 sustineat pœnam furcæ scilicet vel suspendij, quæ mihi sube-
 unda fuisset, si atrocissimi hujus criminis convinci potuissem.
 Sed ne nihil dicat, addit; *me ingentem aureorum summam à Sere-
 nissimo Electore Brandenburgensi pia memoria, vanis de conficiendo
 potabili auro pollicitationibus expiscatum esse, & in egenum meum
 transmisisse marsupium.* Primum omnium ex te quæro, Ta-
 ckeni, quando unquam mihi proposui conficere aurum po-
 tabile? ubi hoc factū? Tuū erat hoc probare; *Ei enim*, ait Pau-
 lus Iurisconsultus, (*l. 2. ff. de probat.*) *incumbit probatio, qui dicit,
 non qui negat.* Imò rectæ rationi & usui omnium populo-
 rum conveniens, ut id, quod intenditur, probandum sit.
 Nolo verò jure meo uti, ne Lectorem in suspensio relinqvam,
 sed onus probandi in me revolvam, & eas afferam rationes,
 eosque adducam testes, ex quorum momentis & dictis si
 non evidentissimè ostendero, omnia putida esse mendacia
 & tantum meras calumnias, en criminis falsi reus, Fur &
 Pseudo-Chymicus ero. Tu me furtum commisisse ais; Ego
 nego. Tuum erat Probare; quod si non solidè & eviden-
 ter à Te fiat, absolvendus venio; & Tu pœnæ, quam scelera,
 quorum me accusas, merentur, subjicieris. Verùm cum
 lucem fugias, iudicium, in quod te citavi, averseris, adcoque
 onus

onus probandi declines (cū videas, in æternum à te fieri non posse) en contrarium tibi monstrabo evidentissimis testimoniis. Primò ais, *me ingentem aureorum summam à Serenissimo Electore Brandenburgensi pie memoria vanis de conficiendo potabili auro pollicitationibus expiscatum fuisse.* Furtum itaque commissum esse dicis occasione Auri potabilis, quod ego conficiendum promisi. Verū nego hoc & pernego. Proba mendacissime mortalium, unquam talem pollicitationem à me Serenissimo Electori esse factam. Primò; Medici Electorales ad unum omnes idem pernegant, addentes; *nunquam* (verba ipsorum recito) *pientissimum beata memoria Electorem Georgium VVilhelmum mihi auri potabilis confectionem injunxisse, neque mille aureos nummos hujus rei causâ jussisse exsolvere; quod omnes rationum æconomicarum libri & administratores nobiscum ultrò fatentur, & jurati etiam, si rem ad summum urgeas, attestabuntur.* Sed quare non integram ascribo Epistolam?

(Lit. Q.) Copia Literarum Medicorum Electoralium Brandenburgensium.

Salutem & officia, amoremq; Collegialem.

Posteaquam ex literis tuis, vir Clarissime atque Excellentissime, Amice & Collega plurimum honorande, quas nuper ad nos dedisti, percepimus, quantis Te Calumniarum plaustis onerârit homo quidam temerarius, minister quondam in Pharmacopolio, jam Medicus per Europam famosus, magno Nos dolore affecit pessimum hoc factum. Etenim non ignotum nobis est, quā pretiosa res sit viro bono Fama, & quā pari passu cum vitâ ambulet; nec fugit Nos, Calumnias Tibi illatas nos quoque tanquam Collegiali vin-

M 3

culo

culo invicem connexos, certo modo attingere. *Æquum* igitur esse judicavimus, quandoquidem coram non licet, per literas sublevare nonnihil dolorem. Potuisses quidem hæc omnia tanquam impura mendacia surdis auribus prætermittere, quia tamen sparsum est hoc Calumniarum virus per omnes Europæ angulos, non inconsultum nobis videtur, ut publico etiam scripto diluas hanc illatam injuriam, & retorqueas in os & faciem impudici hominis. Interea temporis non suademus, ut ad animum adeò hæc tibi revoces. Neque enim, si vel Authorem ipsum, vel falsos rumores spectes, ullius sunt æstimij. Authorem ipsum quod attinet, qui fax & tuba est harum Calumniarum, talis & tantus is non est, ut fidem apud bonos & honestos mereatur. Magnis enim mendaciis per universam Germaniam jam dudum se fecit illustrem, in primis stentoreâ adulterini sui salis viperini divulgatione & illiberali mercaturâ. Deinde desertor est ordinis sui, cui tamen, ubicunque vixit, dedecori fuit. Dignum nullibi habuerunt Pharmacopæi, ut multi bonæ famæ & existimationis viri testantur, cui corpus aliquod Pharmaceuticum concrederent. Iam corporis humani, divini opificij, cognitionem & curationem ausus est suscipere. Sed hos suos Medicina patitur manes. Ipsum rumorem falsum esse & calumniosum & ex maligno corde eruclatum, quis nostrum est, qui nesciat? Neque enim Pientissimus beatæ memoriæ Elector Brandenburgicus, Georgius Wilhelmus, tibi unquam injunxit auri potabilis confectionem, neque mille aureos

reos

reos nummos hujus rei causâ jussit exsolvere ; quod omnes rationum œconomicarum libri & administratores nobiscum ultrò confitentur, & jurati etiam, si rem ad summum urgeas, attestabuntur. Novit hoc ipsum jam adhuc per Dei gratiam Septemvirale sceptrum tenens Serenissimus Fridericus V Vilhelmus, Dominus noster Clementissimus, cujus Testimonium tibi instar omnium futurum arbitramur. Suademus itaque & sedulò te adhortamur, ut quantocyùs ad Nos huc iter adornes, & Serenitatem Ipsius pro Attestato ejusmodi & Testimonio interpelles. Nullum est dubium, quin hoc facillimè à Serenitate Ipsius pro eâ, quâ est in fideles Ministros, benevolentia, sis impetraturus. Interea Te certum esse jubemus, de studio, amore & promptissimâ nostrâ in Te Voluntate, nec aliter existimes cupimus, quàm Nos semper paratos esse ad defendendum famam & estimationem tuam, sicut decet Collegas pietatis & candoris observantes. Quod reliquum est coràm expediemus, quando veneris, quod brevi futurum speramus & optamus. V. Dabantur Berolini 15. Martij, 1653.

Exc. T. ad omnia Collegialia officia
paratissimi

Otto Bötticher D. (L.S.)

Martinus VVeisius D. (L.S.)

Christophorus Majus D. (L.S.)

In

Nobilissimo Clarissimo atque Excellentissimo Domino Helvico Dieterico U. Med. Doctori, Archiatro & Consiliario Electorali Brandenburgico, Domino Collega & Amico nostro honorando,

Hamburg.

TRes hi viri ut Eruditionis laude, ita vitæ integritate & dignitate conspicui, quos inter D. D. Otto Bötticher, Senior noster, tum in Aulâ Electorali Prussicâ simul mecum consiliis Medicis, valetudinem Serenissimi Electoris piæ memoriæ concernentibus, interfuit, adeoque accuratissimam hujus rei habet scientiam, constantissimè hoc negant. Horum autem Testium dicta reliquis omnibus meritò præponderant. Bene Modestinus Iurisconsultus: (*l. 2. ff. de Test.*) *In Testimoniis autem dignitas, fides, mores, gravitas examinanda est, Cui Callistratus suffragatur: (l. 3. ff. ibid.) Testium fides diligenter examinanda est, adeoque in personâ eorum exploranda erunt inprimis Conditio cujusque: utrum quis Decurio, an plebejus sit; & an honesta & inculpata vita, an verò notatus quis & reprehensibilis; an locuples vel egens sit, ut lucri causâ quid facile admittat. Nec Divus Hadrianus ab hac sententiâ abit; dum Iunio Rufino Proconsuli Macedoniae rescripsit; (l. 3. §. 3. ff. ibid.) Testibus se, non testimoniis, crediturum; Verba Epistolæ hæc sunt: Quòd crimina objecerit apud me Alexander Apro, & quia non probabat, nec testes producebat, sed testimoniis uti volebat, quibus apud me locus non est: nam ipsos interrogare soleo, quem remisi ad Provinciae Præsidem, ut is de fide testium quæreret, & nisi impleisset, quod intenderat, relegaretur.*

II. Quòd nihil pecuniæ, ne obulus quidem, nedum mille Ducatorum ex Camerâ Electorali in Confectionem auri potabilis fuerit impensum, testatur Amplissimus Dominus Ioachimus Schultzius, Serenissimo Electori Brandenburgico

gico

gico à Consiliis œconomicis, qui huic curæ & negotio à Serenissimo Domino Electore erat delegatus. Testimonium ejus manu suâ scriptum de verbo ad verbum ita habet:

(Lit. R.) Copia Attestati Schultziani.
Benevole Lector.

HAud sine acerbo animi dolore atque justâ detestatione Vir Nobilis, Magnificus, Excellentissimus atque Experientissimus, Dominus Helvigijs Dietericus, Medicinæ Doctor celeberrimus, Serenissimo ac Potentissimo Principi atque Domino, Domino Friderico Wilhelmo, Marchioni Brandenburgico, S. R. I. ArchiCamerario & Principi Electori &c. &c. à Consiliis Medicis fidelissimis ac meritissimis &c. mihi, cujus nomen infra scriptum vides, non tantum per literas nuper significavit, sed prasens quoque jam aperuit atque demonstravit, quàm iniquè atque ignominiosè ab homine quodam, cui Ottonis Tackenij nomen, absque datâ ansâ aut stimulatione ad tantam rabiem, tractatus sit, siquidem istud propudium hominis libello acerbissimo & criminibus ac maledictis vel sexcentis referto, famam suam lacerare publicè, atque ei ex sceleratissimo animo insingere turpitudinem non erubuerit. In hoc autem Calumniarum plaustro, quod iste libellus invehit, & hæc atrox criminatio legitur: Iam dictum Excellentissimum virum Dn. D. Dietericum, cum aliquot abhinc annis, Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino, Domino Georgio Wilhelmo Electori Brandenburgico &c. beatissima memoria Regiomonti Porussorum adesset à Consiliis Medicis primariis, à Serenitate ejus accepisset mille Ducatorum (ita enim habent literæ suâ ipsius hominis manu ad Dn. D. Dietericum perscriptæ; in libello autem famoso latinè edito ingentem nummorum aureorum summam vocat.) eo nomine, ut pro ejusdem Celsissimâ Serenitate aurum potabile, aut putabile potius, pararet, eosdem verò aureos in aquâ primò regiâ solutos, & in phiolâ Sigillo proprio obsignatos, mox deinde clam surripuisse atque prorsus subduxisse. Item: Eundem hunc celeberrimum Medicum,

N

Dn.

Dn. D. Dietericum, gravissimis morbis adhibuisse ancipites ac periculosissimas curationes, atque medicamenta talia, quibus ipsis, & cum primis Galbano, contra mentem Paracelsi, in contracturâ aridâ, aegrotantes in Porussîâ quàm plurimos macerârît & prorsus enecârît. Cætera probra, convitia, ac atrocissimas calumnias, quæ libellus iste sciatet, prætereo. Hæc autem omnia supra dictus Dn. D. Dietericus non potuit non ægerrimè atque gravissimè ferre, eaq; ut & mecum reputarem, enixè rogavit. Se enim posse Deum, Conscientiam, aulam Principis Electoris Brandenburgici universam, pariter atq; quemlibet boni nominis & mentis candidæ virum vocare testem, se à culpâ impactâ & iniquè sibi ingestis probris vacuum & omninò exsortem esse, neque fore quenquam, qui criminum aliquod, quibus præter meritum oneretur, bonâ fide & probationibus locupletibus planum de se facere quiret: idq; ipsum mihi, quod in primis supra dicta crimina spectat, præ cæteris esse notissimum. Neque verò Ego hoc ire inficias possum. Cùm enim sub idem tempus, tum Serenissimo ac potentissimo Principi ac Domino, Domino Georgio VVilhelmo, Electori & c. nunc laudatissimæ memoriæ, cùm Serenissimo ac Celsissimo Principi ac Domino, Domino Friderico VVilhelmo, jam Principi Electori Brandenburgensi, Domino meo clementissimo, in Porussîâ Ego à Consiliis Oeconomicis essem subiectissimè; quibus & adhuc fungor officiis humilimis; & sæpè dictus Dn. D. Dietericus Anno M. DC. XLII. meditaretur abitum ex Porussîâ vocatus aliò; Serenissimus Elector Dominus noster clementissimus, tum temporis ob calumnias quasdam de eodem Dn. D. Dieterico perversè disseminatas, inscio illo ipso, mihi & Dn. Heinrico VVosegino, à literis Secretioribus Camera Porussîacæ, item & Dn. Heinrico Bulbeckio, à Redituum in Porussîâ rationibus, viris integerrimis, hoc negotij dedit ac commisit clementissimè, ut jam nominati Dn. D. Dieterici medicamenta ejus omnia, & quæ sub curâ illius fuerant, & quæ ipsius manu in Laboratorio Electorali hand sine ingenti labore & sumptibus egregiis erant parata, describeremus & recognosceremus sedulo, confectisq; rationibus, fidelis-

listi-

lissimè quæque ad Serenitatem ejus referremus. Quæ cuncta, ut
 reverà facta sunt, ita ut Ego literis Testimonij publicè atte-
 starer, quàm rectè ac feliciter non solum ista Descriptio me-
 dicamentorum & rationum computatio convenerit, sed & quæ famâ
 integerrimâ è Ducatu Porussia discesserit, ipse Dn. D. Dietericus mo-
 destissimè à me petiit, simul & contendit. Itaque quia de his omni-
 bus verissimè ac planissimè actis per conscientiam & fidem meam a-
 liud attestari nequeo, ideò testor his ipsis literis (quas easdem Dn.
 Henricus VVoseginus, qui in re illâ nobis commissâ adjunctus mihi
 fuerat, & adhuc in vivis est, plenâ fide comprobare poterit, tum Re-
 lationes, de rebus istis confectæ ac sepositæ, documenta satis evidentis-
 sima dare, aptæ erunt) in istâ Descriptione rerum Medicinalium &
 Collatione Rationum, nihil crimine hujuscemodi dignum apparuisse,
 neque in Rationibus Principis Serenissimi titulum ullum Expensa-
 rum pecunie ad supradiçta materia elaborationem repertum fuisse.
 Hinc Serenissimus Elector ipse, Dominus meus Clementissimus, non
 modo acquievit clementissimè, Dn. D. Dieterici rationibus ac operis
 fideliter præstitis in hac re, verum quoque in innocentia testimonium
 cuncta consignata medicamenta sæpius laudato Dn. D. Dieterico gra-
 tiosissimè concessit ac donavit; Eumque à Consiliis Medicis proporrò
 esse clementissimè jussit. Cùmq; accepta Regis & Principis Danie
 Electi, tum Principis Regentis Holsatiæ clementissimâ Vocatione, abi-
 re induxisset animum; à Serenitate Ejusdem Electorali vix tandem
 discedendi veniam, & quidem cum conditione, humilimè impetra-
 vit, atque sic non sine desiderio sui & cum Fama splendore Porussi-
 am relinquens, Daniam, Holsatiam, denique ob bellum Sueco-Dani-
 cum Hamburgum petiit, ibiq; hætenus in luce & admiratione no-
 minis, absque maculâ ullâ ignominiosa vitæ, quin cum excellenti ad-
 mirabilis Medice peritiæ ac felicissimarum Curationum laude vixit
 & vivit: quam fama gloriam hujus felicissimi & Medici Exemplo
 meomet ornare, si opus esset, possem; qui corpus meum, lethatibus ta-
 ceratum vulneribus, in Porussiâ ante annos aliquot brevi tempore
 ac felicissimè sanavit & integritati suæ restituit; sed illud abundè

est, quod à Serenissimo Electore Brandenburgico, Domino nostro clementissimo, in hunc diem saepius nominatus Dn. D. Dietericus & gratiosissime fovetur, & ad corporis sui curam adhibetur.

Qua cum ita sint, ad confirmandam Veritatem & in vindicias fama intemerata viri hujus Excellentissimi, testimonium hoc perhibere plena fide & debui & volui. A quovis igitur, cujus nominis ordinisve aut honoris sit, devotissime, humiliter ac officiosè rogo atque in majorem modum contendo, ut clementissime, gratiosè & amanter huic Testimonio meo fidem adhibere, eoq. nomine celeberrimi hujus viri Dn. D. Dieterici famam à calumniis iniquissimis & ipsi impropertis criminibus, vindicatum ire velint. Quam Clementiam, Gratiam atque favorem & ipse devotissimo animo agnoscet, & erga quemvis, cujuslibet status ordinis aut honoris, Ego subjectissimis humilissimis atque promptissimis officiis obstrictum me atque propterea obligatum omni tempore fatebor. In majorem fidem & notitiam plenioram has ipsas literas signo meo consueto communi vi, manuque meà ipsius consignavi. Actum & datum Colonia cis Sprecam, à die XIII. Aprilis, stylo Veteri, Anno redempti orbis M. DC. LIII.



Ioachim Schultze / Serenissimo
Electori Brand. à Consiliis œconomicis, manu meà.

III. Collega ejus spectatissimus Dominus Henricus VVoseginius Camerae Electoralis Brandenburgico-Prussicae Secretarius Senior, idem eadem ratione testatur, etiam huic negotio adhibitus. Literae ejus haec sunt:

(Lit. S.) Copia Literarum Henrici VVoseginij
Secretarij Prussici.

No.

Nobilis Amplissime & Excellentissime D. D. Fautor & Amice singulariter honorande. Literas Amplitudinis Tuæ die XXII. Aprilis hujus Anni Colonia ad Spream scriptas rectè accepi, & ex animo doleo, quòd Amplit. Vestrae honesta fama & Estimatio à Calumniatore quodam tantopere fuit laesa. Hoc salvà conscientiâ testari possum, quòd à Serenissimâ Electorali Celsitudine ne unicus Ducatus, nedum tanta eorum summa, ex ipsius Serenissimæ Celsitudinis redditibus Prussiæ in Confectionem Auri potabilis fuerit impensa aut in rationes relata. Quòd si jam ex Serenissimi Electoris scatulâ (ita in Prussia & Polonia vocatur pecunia Cameralis) secundum ipsius Serenissimæ Celsitudinis Electorale Testimonium etiam nihil in hunc usum fuit impensum, tum tritum illud locum hic habet: Non Entis nullas esse affectiones: Et eo ipso diffamatio illa erit manifestum mendacium. Quòd Amplitudinis Vestrae Curationes Prussiæ attinet, de iis, quæ Calumniator sparsit, mihi nihil constat; sed potius Amplit. Tuæ maximas ago gratias pro fideli illâ operâ, quam in curationem Filij mei, qui periculosissimâ, ab aliis pro incurabili habitâ, cruris fistulâ à genu ortâ laborabat, impendit, & eundem pristina valetudini felicissimè restituit. Dn. Joachimus Schultzius pluribus Amplit. Tuam certiozem faciet. Hæc Amplitudinè Tuâ responsi loco scire volui. Commendo Eam Protectioni Domini. Dabam Regiomonti Prussia die XV. Maj. Anno M, DC, LIII.

Amplitudini Tuæ



ad officia paratissimus
Heinricus VVoseginus
man. propr.

Inscriptio.

Viro Nobili Amplissimo Excellentissimo Dn. D. Helvico Diete-
rico U. Med. Doctore nec non Sereniss. Electoris Brandenburgici Con-
sulario atque Archiatro celeberrimo, Domino Amicò atque fautori
meò observando.
Colonia ad Spream.

N 3

Ter

Tertius verò Dn. *Henricus Bulbeccius* à redituum in Prussia rationibus, in vivis esse desiit, qui tum simul huic negotio præerat; cujus propterea testimonium haberi nequit. Si jam ulli vel minimi sumtus in auri potabilis confectionem fuissent impensi, certè Camera præfectos, ex quibus illi necessariò fuissent erogandi, id fugere non potuisset, neque debuisset. Ast negant omnes constantissimè, certissimâ fide asserentes, ne hilum quidem eo nomine fuisse expensum. Porro cum de Laboratorio & medicamentis in eo præparatis, eorumque sumtibus ageretur, factâ diligenti inquisitione à Camera Præfectis, peculiariter à Serenissimo Electore ad hoc delegatis, constitit, me de meo 1200. Unciales impendisse; pro quorum restitutione & operâ meâ Serenissimus Elector ipsum ædificium Laboratorij, unâ cum omnibus instrumentis & medicamentis clementissimè, mediante mandato, mihi attribui jussit. In confirmationem eorum, quæ modò dixi, producam Relationem Camera Electoralis Prussiae, quæ, cum inscripto mandato, ita habet:

(*Lit. T.*) Cópia Relationis Camera Electoralis Prussiae.

*Serenissime & Celsissime Elector, Domine
Clementissime.*

Secundùm clementissimum mandatum, quod Serenissima Vestra Celsitudo die XXVI. Martij dedit, continuò ex Camera rationibus annotatum fuit, quod Ipsius Archiater Dn. D. Helvicus Dietericus ad Laboratorium accepit; scilicet: Quingentos Sexaginta septem Unciales ab intimo Camera Secretario Richardo Dietero; porro ducentos & sedecim Imperiales XX grossos; quod verò sine Camera præscitu hinc inde fuit acceptum, id jam quidem adeò accuratè an-

notari non potuit; tandem tamen invenimus, quòd Reinholdus Klein centum nonaginta quatuor Ioachimicos XXII. grossos; David Koch, rei monetariae praefectus Centum & duodecim Imperiales persolverit; Ex Caspari verò Pantzeri Pharmacopœiâ materialia de Anno M DC XXXIX. ad Centum & septem Imperiales empta; quæ summa verò de anno 1640. fuerit petita, nondum ad Cameram est relatum. Ex officinâ vitriariorum varij generis vitra ad XLIV. Imperiales; ex culinâ una tonna salis pro tribus Imperialibus, & pro uno unciali ova; ut hæc omnia computata summam conficiant Imperialium mille ducentorum & quadraginta septem: in quâ tamen ipsum Laboratorij ædificium & cæmenta, ex quibus ædificatum fuit, non comprehenduntur; ut nec carbones, & ligna; quia difficulter taxantur & rationes illorum ad Cameram non referuntur: nec etiam merces Laboratori data & ejus alimenta. His ita factis alter Serenissima Celsitudinis vestra Archiater Dn. D. Otto Bötticher Camera adjunctus est, coram quâ modò dictus Dn. D. Dietericus comparuit, Serenissima Celsit. Vestr. clementissimum mandatum audivit, & humilimè respondit: Notorium esse, Serenissimum Electorem piissima memoria per aliquot annos afflictâ fuisse valetudine; cujus recuperandæ cupiditate Serenissimam Ejus Celsitudinem se, ut de variis remediis cogitaret, jus sisse; ad cujus mandato humilimè obsequendum non tantum hic, sed etiam in Marchiâ plurima in usum Serenissima Ejus Celsitudinis suâ manu elaborasse; ad quorum confecti-
onem quidem Sereniss. Ejus Celsitudinem ad materialia paranda clementissima dedisse mandata; antequam verò quicquam effici potuerit, se interea sua, quæ in Hassiâ paravisset, & ea etiam, quæ Francofurti & alibi suo pretio emisset, in Serenissima Ejus Celsitudinis Valetudinem impendisse; quæ verò hic in Porussia ad mandatum Serenissima Celsitud. p. m. elaborasset aut elaborari curasset, partim in sepius dictâ Sereniss. Celsit. Valetudinem esse impensa, partim verò periisse, ut in ejusmodi operationibus chymicis haud infrequens esset, partim verò & quidem maximam partem esse reliqua,
quæ

quæ magni æstimari possent, & liberrimæ Serenissimæ Vestræ Celsitudinis dispositioni permitterentur; se accuratas rationes omnium rerum reddere nunquam fuisse jussum; bonâ tamen fide Serenissimam Vestram Celsitudinem securam reddere, se ex omnibus illis impensis sumptibus nihil in sui convertisse utilitatem; sed potius magnam partem ex suo impendisse. Hæc suâ responsione præmissa Index quidam rerum confectarum adhuc extantium ab ipso postulatus est, quem hesterno die confectum peculiaribus literis Serenissimæ Vestræ Celsitudini insinuavit; secundum cujus ductum nos infra scripti primum in Laboratorio, deinde in secretiori suo conclavi res, quas indicaverat, perlustravimus, & quod extant, cognovimus, secundum geminum indicem, quem Sereniss. Celsitudinis Vestræ ulteriori mandato & dispositioni humillimè offerimus & insinuamus, subjectissimè addentes, etiam absque iis, quæ Dn. D. Dietericus ex suo laboratorio ad Sereniss. Celsitudinis beatissimæ memoriæ valetudinem impendit, multa ex Pharmacopœiâ Caspari Pantzeri per Thomam Wolfium, Pharmacopœum itineribus destinatum, esse petita, ut formulæ medicamentorum, quæ in Camerâ sub sigillo servantur, pluribus testantur. Consignatum Regiomonti Prussiæ XIII. April. M. DC. XLI.

Serenissimæ Celsitudinis V.
humillimi & subjectissimi
Camerae Præfectus & cæteri Camerales.

(Lit. V.) Mandatum Electorale de concedendo
Laboratorio, Relationi Camerae priori exte-
rius inscriptum.

Quoniam in perlustratione Laboratorij deprehensum fuit, Electoralem Archiatrum D. Helvicum Dietericum longè plura, quàm ipsi elaboranda data sunt, de propriis suis non tantum in Sereniss. Celsitudinis piissimè defunctæ, laudatissimæ memoriæ, curationem longiorem, sed etiam ad alios usus, prævis mandatis, impendisse;

disse; Serenissima Electoralis Celsitudo dictum Laboratorium unà cum aedificio & rebus omnibus ad id pertinentibus & in eo restantibus ex singulari gratiâ concessit, ita, ut neque ipse, neque heredes ejus de modo dicto Laboratorio amplius conveniri debeant aut ullam rationem reddere; sed Serenissima Celsitudo potiùs suo Archiatro pro impensis & labore omnem Electoralem gratiam clementissimè pollicetur. Actum Regiomonti XVI. April. Anno M DC XLI.

Ex quo cum perspiciebam, & ipsum aedificiũ Laboratorij unà cum omnibus appertinentiis, ut loqui solemus, & medicamentis mihi clementissimè fuisse donatum; & verò aedificij nullam tum quidem, quum domicilium meum aliò transferre constitueram, (eram enim in Aulam Regiam Danicam vocatus) videbam utilitatem, Serenissimo Electori humilimas agebã gratias pro tam illustri beneficio rogans, ut tantum medicamenta unà cum mobilibus huc pertinentibus mihi auferre liceret, quibus vellem esse contentus. Hinc promulgatum est alterum Edictum, quod jam sequitur:

(Lit. X.) Mandatum Electorale Brandenburgicum
de concedendis Medicamentis.

Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dominus noster clementissimus, omnia medicamenta in Laboratorio reliqua D. Dieterico clementissimè concedit, & ut ipsi ea auferre liceat, permittit. Quæ etiam vigore harum literarum dicto D. Dieterico clementissimè concessa vult, ut ipsi ea auferre & in suum usum accommodare liceat. Actum Regiomonti IX. Decembr. Anno M DC XLI.



Fridericus Wilhelmus.

O

Si

SI jam ingentem aurorum summam, ut Adversarius meus ait, Svanis de auro potabili conficiendo pollicitationibus expiscatus fuisset, num vel Laboratorium, vel Instrumenta ad id pertinentia, vel ullū medicamentorū mihi Serenissimus Elector fuisset concessurus? Credat, qui volet, mihi certè nō fit verisimile.

Interim à potentissimis Danorum Rege & Principe Electo, Christianis IV. & V. piæ memoriæ, nec non à Serenissimo Duce Regente Holsatiæ Friderico, vocatus sum, & clementissimè à Serenissimo Electore, cum expressâ conditione obligationis redeundi ad officium, si quâvis occasione Elector meâ operâ in posterum indigeat, dimissus: quod ex literis & vocatoriis & dimissoriis cognoscere potes, quas apponam integras,

(Lit. Y.) Literæ Vocatoriæ ad functionem Archiatri extraordinariam

Potentissimi Regis Daniæ, Christiani IV.

Nos Christianus IV. Dei gratiâ Dania Norvagiæ Vandalarum & Gothorum Rex &c. Omnibus notum facimus, quod Doctissimum virum fidelem & dilectum nostram Helvicum Dietericum Medicinæ Doctorem, Corporis nostri Medicum de domo, ut loquimur, quandoquidem aliàs Serenissimi Principis, dilectissimi nostri Filij, Christiani V. Daniæ & Norvagiæ Principis electi &c. Dilectioni inservit, clementissimè constituerimus & receperimus &c. &c. Pro fideli ejus operâ & labore Nos ipsi quotannis vel ex Camerâ nostrâ vel in octavis III. Regum Chilonij N. N. Unciales persolvi curabimus. In fidem manū nostrâ subscripsimus & Regio nostro Sigillo muniri iussimus. Dabantur in Arce Regiâ Haderslebij d. XXIII. Novembr. Anno M. DC. XLIII.

(Lit.

(Lit. Z.) Ejusdem Potentissimi Regis Literæ
vocatoria

ad ordinariam functionem Archiatri.

Nos Christianus IV. Dei gratiâ Dania, Norveg. Vand. & Goth.
Rex &c. Omnibus publicè notum facimus, quòd Doctissi-
mum virum Helvicum Dietericum Medicinæ Doctorem no-
stri corporis Medicum ordinarium clementissimè constituerimus &
receperimus. Constituimus etiam ipsum vigore harum literarum
hâc ratione, ut Nobis, nostris Regnis, regionibus & Provinciis omni
tempore fidelis, obediens & subjectus; nostrum & illorum commo-
dum, quantum ab ipso fieri potest, procurare & promovere; incom-
moda verò & detrimenta cavere & declinare; nostræ valetudinis
& corporis curam gerere; semper & omni tempore, quando Con-
silio ejus egemus, præsto esse; illos morbos, quibus Deus fortè Nos af-
fluxerit, nemini, cui non licet, malitiosè revelare, sed perpetuò reticere
teneatur. Medicamenta, quæ præscripturus est, per nostros juratos
ministros; quibus vel jam utimur, vel in posterum usuri sumus,
preparari curabit; imò interdum ipse, si ita opus videbitur, manum
admovebit. Præterea inspectionem Laboratorij, Horti Regij & Orpha-
notrophij (in quo pupilli varias artes mechanicas edocentur) in
nostrâ Urbe Hafniensi ipsi clementissimè demandavimus, & quidem
hâc ratione, ut in Laboratorio nihil, nisi ad nostra Medicamenta
spectans, præparetur; quòd si verò in sui ipsius usum nonnihil consti-
cere velit, vel in ipsius adibus vel alibi ab ipso id fieri debet. Orpha-
notrophij sollicitam geret curam, ut illis hominibus & pupillis, qui in
eo aluntur, quantum per humanam providentiam fieri potest, firma
valetudo conservetur; in quem finem bona & conducibilia medi-
camenta adhibebit, Chirurgum ad diligentem pupillorum curam mo-
nebit, ipsique, si consuletur, salutari consilio promptus aderit. Dili-
genter etiam Hortulanij laboribus intendet, ut omnes illas herbas,
quæ in nostro quidem Regno ullibi locorum haberi possunt, etiam no-
stro implantet horto; ut illas, quæ ad balnea seu lavacra adhibende

sunt, mature & tempestivo tempore colligat & exiccet; & vulgares illas, quæ ad destillationes aquarum adhibentur, & uno tempore simul destillari non possunt, debito modo sale maceret, ut progressu temporis tempestivâ occasione destillari queant. Illa verò fruges & herba, quarum multitudo hic haberi non potest, ex iis præfecturis, ubi illarum copia suppetet, ad quas asportandas currus & Equi ipsi suppeditabuntur, petenda erunt. Ut compendio dicamus, in hac sua functione, & reliquis omnibus, vi Juramenti sui præstiti, ita se geret præstabitque, ut Archiatrum omni meliori modo decet, & ipse præclare à se gesti muneris uberio rem gratiam promereri cogitat. E contra pro hujusmodi servitiis, quæ Nobis tanquam Archiater exhibiturus est, & pro iis Inspectionibus, quarum supra mentionem fecimus, Laboratorij sc. nostri, Horti & Orphanotrophij, ipsi quotannis N. N. unciales persolvi curabimus. Initium salarij fiet ab hoc, quo has dedimus, die, quodq; semper ita durabit, quousque & Nobis & ipsi ita placuerit. Quod Regionum nostrorum reddituum Præfecti observabunt. In fidem manu nostrâ subscriptimus & Regio nostro sigillo roborari jussimus. Dabantur in Arce nostrâ Hafniensi, 1. Novembris Anno M. DC. XLIV.

(L.S.)

Christianus.

(Lit. Aa.) Literæ Vocatoriæ

Serenissimi Principis Electi Daniæ Nor-
Vag. &c. Christiani V.

Nos Christianus V. Dei gratiâ, Daniæ, Norvveg. Vandalorum & Gothorum Princeps Electus &c. Notum facimus, quòd Doctissimum virum fidelem & dilectum nostrum Helvicum Diericum, Medic. Doctorem, nostri & dilectissimæ Conjugis nostræ Corporis Medicum constituerimus & receperimus. Constituimus & recipimus eum etiam clementissimè vigore harum, ut Nobis præcipuè fidelis, obediens & subjectus esse &c. Pro fidei suâ operâ Nos
quo.

quotannis ipsi N. N. Unciales persolvi curabimus, incipiendo à proximo Paschatos festo Anni M. DC. XLII. &c. In fidem manu nostrâ subscripsimus & Camerali nostro Sigillo muniri jussimus. Dabamus in Regiâ Arce Nicopiensi XV. Sept. Anno M. DC. XLI.

(L. S.)

Christianus.

(Lit. Bb.) Literæ Vocatoriæ

Serenissimi Ducis Holsatiæ Regentis

FRIDERICI.

Nos Dei gratiâ, Fridericus, Heres Norvvegia, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ &c. Notum facimus omnibus, quod Doctissimum virum, Helvicum Dietericum, Med. Doctorem, dilectum & fidelem nostrum, Corporis nostri Medicum extraordinarium constituerimus & receperimus. Constitutumus & recipimus etiam eum Medicum corporis nostri vigore harum literarum, hæc quidē ratione, ut nobis fidelis & obediens esse &c. præsertim verò, si Deus, clementissimus Pater, secundum divinam suam voluntatem, vel nostram, vel dilectissimæ nostræ conjugis aut Liberorum valetudinem (quod tamen divina bonitas quam diutissime & clementissime avertere velit) afflixerit, nobis omnibus & nostris quoque Ministris, si debitum ipsi honorarium persolverint, quâ potest diligentia & fide maximâ, cautè & prudenter adesse, consulere & inservire teneatur, uti fidelem & peritum Medicum ex asse decet &c. Econtra ipsi quotannis N. N. Unciales in Octavis III. Regum persolvendos curabimus &c. In fidem manu nostrâ subscripsimus & nostro Secretiori Sigillo communituri fecimus. Dabamus in Arce nostrâ Gottorpio 6. Julij Anno 1641.

(L. S.)

Fridericus.

(Lit. Cc.) Dimissio Brandenburgensis.

Serenissimæ Celsitudini Electorali Brandeb. Domino nostro Clementissimo debito modo relatam & propositam fuit, quâ ratione

Serenissima Celsitudinis ipsius Archiater Dn. D. Helvicus Dietericus, quum ab aliis Serenissimis Principibus ad ministeria fuerit evocatus, dimissionem clementissimam supplicando subjectissime petierit. Quamvis vero Serenissima Electorali Celsitudini gratum fuisset, si modo dicto ipsius Archiatro diutius in ministerio Serenissima Celsitudinis Ipsius commorari libuisset, tamen, quoniam alie functiones, quas recusare non potuit, ipsi obtigerunt, Serenissima Ejus Celsitudo ipsi ejusq. commodis non vult adversari, sed humilimis ejus precibus clementissime locum relinquere. Concedit etiam vigore harum petitam dimissionem, & saepius dictum Dn. D. Dietericum munere suo clementissime liberat, eiq. Electorali gratia & favore semper manet addicta. In fidem Serenissimus Elector sua manu subscripsit & Secretiori suo Sigillo communiri fecit. Datum Regiomonti Porussorum IV. Decemb. Anno M. DC. XLI.

(L.S.)

Fridericus Wilhelmus.

IV. Paulò post me iterum Medicum Corporis sui constituit idem Serenissimus Elector, ut sequentes literæ testantur.

(Lit. Dd.) Iterata Vocatio mea facta

à

Serenissimo Electore FRIDERICO WILHELMO, ad munus Archiatri in Aulam Electoralem Brandenburgicam.

Nos Dei gratiâ, Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis, S. R. Imp. ArchiCamerarius & Elector &c. vigore presentium literarum omnibus notum facimus, quòd Nobis, postquam Doctissimi viri, fidelis nostri & dilecti Helvici Dieterici Medicinæ Doctoris eruditio, sin-

singulares dotes & per longum usum varia & multijuga
 Experientia, non tantum ab aliis mirifice commendata, sed
 Nobis etiam ipsis satis superque cognita & perspecta, his
 causis inductis eum in nostro ministerio diutius commorari,
 eumque Archiatrum nostrum clementissime eligere & consti-
 tuere placuerit. Eligimus etiam & constituimus vigore
 harum literarum Ipsum hac ratione, ut is &c. paulo post:
 E contra Nos & ipsum & Eos, qui ad ipsum spectant, Ele-
 ctoralis gratiam constanter complectemur, & contra omnes
 Calumnias & obtreptiones, quibus falso traducitur, ac si
 in valetudinem Clementissimi Nostri Parentis p. m. negligenti-
 us habuisset, eius debito modo non occurrisset, potenter tue-
 bimur, & defendemus, adeo, ut si quis Calumniatorum ab i-
 pso vel annotetur, vel depræhendatur, debite & severe
 pœnæ sumus subjugaturi, præcipue, cum Nobis exploratissi-
 mum sit, præter meritum D. Dietericum onerari calumniis,
 ipsique fieri injuriam &c. Pro cuius operâ & labore sala-
 rij loco ipsi quotannis N. N. Unciales persolvi curabimus
 &c. In fidem manu nostrâ subscripsimus & Camerali no-
 stro Sigillo roborari fecimus. Dabantur in Arce nostrâ Cli-
 vensi d. XXIV. Octobr. M DC XLVII.

(L.S.)

Fridericus Wilhelmus.

V. Ipse Serenissimus Elector Brandenburgicus locuple-
 tissimum & verissimum Testimonium publicum innocen-
 tiæ meæ perhibuit, quod integrum recitabo, si prius literas
 meas supplices ad Serenissimam ejus Celsitudinem ascri-
 psero.

(Lit.

(112)
(Lit. Ee.) Submissa Supplicatio
ad

Serenissimum Electorem Brande-
burgensem.

Serenissime & Celsissime Elector,
Domine Clementissime.

FAcere non potui, quin Serenissimæ Celsitudini Vestræ summo cum dolore, debitâ tamen submissione, hæc referrem, quòd præter omnem spem, contra omne jus & fas, novus quidam, sed impudens & maledicus calumniator instar publici Adversarij contra me insurgat, nomine Ottonis Tackenij, diversorum antehac Pharmacopolarum, Chirurgorum, aurifabrorum, Medicorum, hinc inde per Germaniam famulus & minister, nunc verò Paduæ Doctor creatus; qui citra omnem pudorem libellum quendam famosum latino idiomate Venetiis per alium conscribi & excudi curavit, in quo inter alia manifesta de me mendacia & hoc annotavit, quòd à Serenissimo Parente Tuo ingentem aureorum nummorum summam, ad præparationem auri potabilis acceptam, in aquâ regiâ dissolverim, vitrum autem, in quo continebatur aurum, Sigillo meo obsignarim, postea eo clam aperto, aurum, invisibile illud reddendo, abstulerim. Porrò ait, me piè defunctum Principem loco auri & Crystallosum, qui, ex plumbo confecti, imperitiâ meâ perierint, pice curasse. Item, me Domino Generali ab Arnheim Crystallos auri, instar magni Philosophiæ inventi, è quibus aurum potabile conficiendum, ostendisse; Dominum autem Arnhemium non tam artificium admiratum, quàm subtilem furandi modum; etiam multa alia profert, quibus pejora vix ipse diabolus inferni excogitare posset. Quandoquidem igitur hæc omnia turpia sînt mendacia & manifestæ

festæ calumniæ, contra honestam meam famam, ac hæcenus tutò usurpatum honorem, pœnisque dignissimæ; insupræque Serenissima Celsitudo Vestra sciat, quàm injustè hæc mihi obtingant, submissè rogo, ut mei defensionem clementer suscipere velit (tanquam veteris, jamque novi & fidelis ministri, qui nunquam ejusmodi, quibus infimulor, studiis deditus fui, sed mandatum munus fideliter usque in hanc horam obij, & porrò usque ad finem vitæ sum obiturus, si ita Deo & Serenissimæ Celsitudini Vestræ placuerit) atque publicâ sententiâ, per Consiliarios ad hoc negotium clementer deputatos, decernere, quem in modum calumniator meus sit puniendus aut reprimendus, & os illud impudens, convitiis refertum, Venetiis occludendum? Propterea obnixè rogo, ut Serenissima Celsitudo Vestra mei causâ literas ad Senatum Venetum mittere velit, quò Ottoni Tackenio silentium perpetuum imponatur, mihi que præterea Testimonium publicum innocentiae meæ clementer concedere, quòd scilicet summâ cum injuriâ mihi, quicquid de fictitio auro & quod eò facit prolatum, ab Ottone Tackenio sit affectum, quoniam, quamdiu vixi, ne unum quidem, tantum abest, ut mille Ducatos acceperim, nec de auro potabili vel in aulâ Brandenburg. vel alibi mihi quicquam in mentem venerit. Quod Sereniss. Celsitudinem Vestram eò facturam libentiùs confido, modò memoriâ repetat, quòd ejusdem generis falsæ calumniæ, paulò post obitum Serenissimi Parentis Vestri, de me quamvis innocente disseminatæ sint, ad cuius rei cognitionem tum temporis delegabantur tres Commissarij, Joachimus Schultzius, Christoph. VVofeginus & Henricus Bulbecius, ut Laboratorium perlustrarent, an peculiare aurum ad præparationem auri potabilis aliorumque pretiosorum medicamentorum, unquam acceperim, nec ne? qui verò præter innocentiam & integritatem meam hoc

potiùs observarunt, quòd mille & ducentos Imperiales ex re meâ familiari in illud Laboratorium impenderim, uti ex ratione, quam ad manum habeo, cuivis manifestum esse potest. Quâ re Serenissima Celsitudo Vestra permota mihi continuò omnia, quæ in Laboratorio isto erant, clementer donare voluit. Ego nullus planè dubito, quin Serenissima vestra Celsitudo me hoc nomine clementissimè audire, humillimisq; meis precibus locum apud se dare velit &c. Hamburgi die VI. Aprilis Anno M DC LIII.

Sereniss. Celsitud. Vestr.

Subjectissimus ac fidelis
simus

Helvicus Dietericus D.

His literis & rei indignitate motus Serenissimus Elector, sequenti publico me ornavit testimonio.

(Lit. Ff.) Copia Testimonij Electoralis Brandenburg. pro innocentia meâ publici.

NOS FRIDERICVS VVILHELMVS Dei gratiâ,
Marchio Brandenburgensis, S. R. Imp. ArchiCamera-
rius & Princeps Elector, (cum tot. tit.) Notum facimus
omnibus & singulis, præcipuè verò iis, quibus scire interest,
hoc publico diplomate; Quòd Doctissimus noster Archiater
& fidelis dilectus D. Helvicus Dietericus, summo cum illi-
us dolore Nobis humiliter retulit, quàm innocenti & pror-
sus indigno modo, haud ita pridem à quodam, qui se Otto-
nem Tackeni appellat, jamq; Venetiis degit, atrocissimâ Con-

tumeliâ, & quidem per famosum libellum publicum, Nobis ab illo submissè oblatum, affectus sit, famaꝝ illius falsissimis convitiis & ementitis criminibus, quibus dictus modò libellus à capite ad calcem malitiosè repletus, quàm gravissimè læsa. Quibus ille tandem permotus à Nobis sollicitè petiit, ut ad sui honoris & famæ conservati-
 onem, Apologiam, quam præ manu habet, publico testimo-
 nio approbare, innocentiamꝝ suam sublevare clementer
 velimus. Quibus omnibus, quò veritas innotesceret,
 Nos quoque commoti, locum dare justissimæ nostri Ar-
 chiatro petitioni, eumꝝ in Electoralem nostram tutelam
 recipere volumus, quoniam non Nobis tantum, sed Sere-
 nissimo quoque Domino Parenti nostro beatissimæ me-
 moriæ, suis officiis omni tempore satisfecit, ut nullius in-
 fidelitatis illum accusare possimus, quâ de causâ usque in
 hanc horam illo ceu Archiatro Nostro utimur. Quapropter
 vi & Authoritate hujus Electoralis Rescripti publicè attestamus,
 quòd sæpe laudatus noster Archiater, omnium istarum calumniarum
 & convitiarum, inprimis verò criminis falsi, infidelitatis,
 furti, auri potabilis, fulminantis, circumvagationis instar
 circumforanei aliarumꝝ falsarum infamiarumꝝ rerum, quibus in
 allegato famoso libello Tackenij, indignis modis læsus est,
 coram Deo & toto mundo sit innocens; adeoque istas diffama-
 tiones, tam in genere, quàm in specie falsas exꝝ malitioso

„ animo profectas esse, publicè fatemur, Nostrumq; Archia-
 „ trum ab iis omnibus plenissimè absolvimus. Universis
 itaque & singulis, cujus statûs & dignitatis fuerint, cum
 gratiosæ nostræ voluntatis respectivè erga unumquem-
 que exhibitione, mandamus, ut non solum huic, quod Ar-
 chiatro nostro dedimus, testimonio Electorali, plenam fi-
 dem adhibeant, sed etiam illius vices, in summâ ejus
 innocentia, ita uti decet, subire, atque datâ occasione con-
 tra quemvis defendere velint. Quod uti ad illius inno-
 centiam, famæ conservationem, veritatisq; confirmatio-
 nem vergit; ita pro virili erga quemcunque hoc quic-
 quid erit officij, resarcire conabitur. Nos quoque Uni-
 cuique pro ratione illius statûs & conditionis manebi-
 mus gratiosè addicti. Proq; majori certitudine hujus
 rei, propriâ manu hoc Attestatum subscripsimus, nostroq;
 najori Sigillo confirmari scientes mandavimus. Da-
 tum Coloniae ad Suevum die XVI. April. Anno M
 DC LIII.

L. S

Fridericus V Wilhelmus.

Audésne, Tackeni, hoc Electoralé Testimonium
 elevare? Quantæ fidei, roboris & ponderis hæc sunt ver-
 ba? Quapropter vi & Autoritate hujus Electoralis rescripti,
 publicè attestamus, quòd sæpè laudatus noster Archiater omnium
 istarum calumniarum & convitiarum, inprimis verò criminis
 falsi, infidelitatis, furti, auri potabilis, fulminantis, circumvagatio-
 nis

nis instar circumforanei, aliarumq; falsarum infamiumq; rerum, quibus in allegato famoso libello Tackeni, indignis modis laesus est, coram Deo & toto mundo sit innocens; adeoq; istas diffamationes tam in genere quam in specie falsas exq; malitioso animo profectas esse, publicè fatemur, Nostrumq; Archiatrum ab iis omnibus plenissimè absolvimus. Quid plenius, quid evidentius dici posset? Cùm postea Serenissima Ejus Celsitudo atrocissimas injurias magis magisque clementissimo suo animo expenderet, indignitate rei vehementiùs commota, alterum hoc dedit.

(Lit. Gg.) Copia secundi Testimonij Electoralis
publici.

Nos Fridericus Wilhelmus Dei gratiâ, Marchio Brandenburgensis, Sac. Rom. Imperij ArchiCamerarius & Princeps Elector, Magdeburgi, Borussia, Julia, Clivia, Montium, Stetini, Pomerania, Cassubiorum Vandalorumq;, nec non in Silesiâ Crosna & Carnovia Dux, Burggravius Norinbergensis, Princeps Halberstadij & Minda, Comes Marca & Ravensbergi, Dominus in Ravenstein.

Universis & singulis patentes hasce visuris, lecturis vel audituris, respectivè officia nostra, studia, salutem & gratiam Electoralem.

Prodeunt in omnem terram Zoili ac subdola & perversa planè naturæ homines, qui nil nisi rancore animi perciti aliorum actiones suggillare & perstringere gestiunt, nec ulla fermè est regio, aut viri boni & honesti fama ac existimatio, quam non impudico ore ac livido dente eorum aspergant cavillationes & calumnia; adeò nempe ætas hæc ultima senescentis mundi aspera & exitialis est, iis præcipuè, qui fidelem operam Dominis suis, quorum fidei & servitiis maximè sunt adstricti, indefesso studio comprobare, quin pro salute eorum varia discrimina, etiam summo cum vitæ periculo fortunarumq; suarum jacturâ intrepidè subire satagant. Quam communem jam conclamati hujus temporis calamitatem & injuriam cùm & Doctissimus, Archiater noster sincerè nobis dilectus & fidelis Doctor Helvvigius Dietericus, vir arte Medicâ ac integritate vitæ per-

quàm conspicuus, haud ita pridem ab homine quodam maledico, Ottonis Tackeni nomine, quem olim Germania tanquam inutile terra pondus agrè ferens, ad Italia oras evomuit, famoso illo impudentissimis mendaciis & convitiis referto libello id satis superque testante, expertus sit; Jure meritoq; ad supplicem ejus instantiam hominem prorsus innocentissimum & à Tackenianis accusationibus & impudentissimis figmentis prorsus immunem Electorali nostra Autoritate & gratiâ defendendum, quin & optimorum quorumvis patrocinio dignissimum judicavimus; utpote qui non solum Electoralem nostram hanc gratiam hætenus, sed etiam olim Divi Parentis nostri gloriosissimæ memoriæ amorem fidelitate servitorum, & indefessâ undique incontaminati præstitâ officij operâ ita promeruit ac felicissimâ medendi methodo sibi devinxit, ut inter ceteros ipsi ad extremum vitæ halitum usque charus extiterit, & Nosmet ipsos ad expetenda & adhibenda consilia ejus & Medica Nobis & Electorali nostra Familia & aula hætenus admodum proficua in hanc usque horam induxerit. Ea propter rei indignitate & malitiâ hominis supradicti detestabili, quam Nobis præfatus Archiater noster fidelissimus non absque cordolio & justissimo animi dolore longius humillimè exposuit, permoti; Attestamur sincerè & verbo hoc nostro Electorali omnia & singula convitia, scommata & quæcunque alia contra candorem, dexteritatem ac famam Medici nostri innocentissimam, universis ac singulis notam, à canino Ottonis Tackeni dente prolata, efficta & in præfato libello famoso comprehensa, imprimis verò, quæ ratione perpetrati criminis falsi, infidelitatis, Auripotabilis, fulminantis, & furti, cum iniquissimâ & mendacissimâ incusatione allegantur, tam in genere quàm in specie falsissima esse & pura pura figmentia, à quibus sæpius nominatum Medicum nostrum prorsus alienum etiam atque etiam prædicamus, perhibendo insuper ejus rei ac innocentia ipsius evidentissima hoc Nostrum Electorale Testimonium. Ab omnibus de cetero, habitâ cujuscunque præeminentiæ, dignitatis ac conditionis ratione, amicè, gratiosè, & be-

ni.

nignè requirentes, ut modo dicto nostro Testimonio publico fidem plenissimam habere, & Archiatrum nostrum fidelissimum innocentissimum, si fortè necessitas id efflagitaverit, contra presentes ac futuras Tackenianas impetitiones malevolas pro virili defendere, & omnibus humanitatis ac benevolentia Officiis haud gravatim prosequi dignentur ac velint, remunerandi mutuâ tam beneficij, quàm gratissimi hujus studij vicissitudine. In cujus rei fidem presentes hasce Sigillo nostro manusq; subscriptione propria corroboravimus. Dabantur ex Arce nostrâ Coloniensi circa Spream, die XVI. Mensis Aprilis Anno reparata salutis supra Millesimum sexcentessimum Quinquagesimo tertio.

(L.S. Elect.)

Friedericus Wilhelmus
Electoꝝ.

LECTIS hisce Electoralibus, omni fide majoribus, literis, recordare mecum, si lubet, mi Lectoꝝ, quod alicubi Samosatensis ille Philosophus decantatissimus, vitiorum omnium inimicus, unius virtutis & philosophiæ completæ sectator, cui *nec viget quicquam simile aut secundum*, qui, ubi rectum iter vitæ cæpit inspicere, voluit cum ipsis ingeniis, ipso fato, & ipsis, quod ajunt, Diis conflictari, quem porro diligentissimum Grammaticum (Philologum hodie) Rhetorem, Advocatum, Medicum, Historicum, Philosophum, Poëtam, & uno nomine, Politicum appellat Joan. Bourdelotius. (*in prefat. ad Luciani opera Lutetiæ Paris. edita 1615.*) alicubi (*serm. Ἐστὶ μὴ πάδιωσ πῖς ἐναν διαβολῆ*) habet, quod ex textu Græco Phil. Melanchthon ita interpretatus est: *Si Deorum quispiam (ait) vita (aut pari cum illâ passu ambulanti famæ) nostræ lumen afferat, futurum est, ut evanescat calumnia, fugiatq; in altum barathrum, nec uspiam in humanis locum inveniat; redditâ nobis*

luce omnium vite studiorum veritatis beneficio. Quid putas, mi Bone, si *Deorum* (Principum) non *quempiam* (unum) sed *plures*, heic pro meâ innocentia loquentes introduxero? Velin' Tu Calumniatori potius, quàm illis, quorum verba instar Iuramenti nobis sunt vel esse debent, & in quos nulla cadunt mendacia, habere fidem? Audivisti jam Numinis mei oraculum, plurium Deorum calculo adjecto & jam dum probatum & porrò probandum, cuius supremâ vi ceu fulmine, modò perierunt disjecta humique strata hostis hujus mei tela. Tu cave sis, ô Lector, vel quisquis alius es Auditor, ne atrocissimæ isti in me prorsus immerentem effusæ calumniæ, vel quovis modo assensum præbeas ullum, aut assentationi, quæ calumniæ cognata, imò soror est, te associes Fratrem. *Nemo quippe hominum, ut Lucianus de suo iterum mihi aliquid impertiat, tam generoso est pectore, etiam adamantino septus muro, qui cum calumnie concedat, non idem assentatione vincatur.* Et nescio sanè, quí fiat, ut omnes amore sui immodico admiratio, & quod idem est, assentatio, furtim rapiat, & suspicionibus illectet. Multos enim comperi, etiam inter studij, Artis atq; Officij nostri locios, studio calumniæ aut blandioris assentationis adeò suaviter titillari auriculas, ut si penis aut auriscalpiis delicatissimis confrices. Et benè quidem hoc: nec enim magno emitur victoria, ubi nemo repugnat, nemo vim tormentorum sustinet, aut jaculis jaculatur, sed qui auscultat & assentatur, ipse jam sese sponte suâ in manus hostium Calumniatorum dedit. Quin valdè oportunum hîc simul fore duxi, si & hoc in aures tibi, mi Optime, jam jam subsusurravero, fuisse ex confratrum (quo Leodienses & Brabandi medici nomine se invicem salutare solent) ordine, qui non micam, non modicum, sed modium falis non semel mecum antehac consumsit, qui in mei (si Diis placet) honoris gratiam per illustria Magnæ cujusdam Au-

Au-

Aulæ atria instar Herculis alicujus furentis discursitaverit, Adversarij mei Apologiam, libellum p̄ta famosum, clam & palam secum sub pallio & pileo gestans, neutiquam veritus, ejusdem sensum latinæ linguæ ignaris aulicis ministris exponere in vernaculâ. Miramini mecum, ô bonæ mentis genitissimæ genij, hominis hujusce blandiloquentissimi & politicissimi monstri, seu mavis exercitatissimi Polypragmonis malitiam, foeditatem, versutiam. Sed heus Tu, linguacissime Polypheme, viden, in quo cœno cum porcis hîc nates, aut quibus in murmentorum speluncis cum Lemuribus & spectris oberres, dum vel bonis vel malis spiritibus aut mentibus talia obmurmuras? Ubi ratio? ubi humanitas? ubi bonitas? ubi prudentia tua? De Te ipse jam, quid dicis? Tun' ille, si cum Marone ex te ita quærare licet;

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit unum

Millibus è cunctis hominum consultus Apollo?

Talem equidem te esse decebat, si & Hippocratis juramentum, & humanitatis leges, & amicitiae regulam & virtutis monita observare, & Medici, & Politici & Amici & docti nomine gaudere volebas, sed longè hîc aberrasti à januâ, & meruisti, ut bifrontis tuæ frontis parti uni inuratur; **FIGULUS FIGULUM ODIT**: alteri; **CRACVLVS CRACVLO ASSIDET**! scilicet ut internoscaris. Nec dissimile quidpiam abs te hîc video factitatum ab eo, quod Francofurtensibus in nundinis me spectatore antehac accidisse memini. Erat Thraso, qui prægrandem sub palliolo raso scatulam gestans plateatim discursitabat, prætereuntibus quibusvis acclamans: *Accurrite amici, visuri nunquam visum animal Indicum rarissimum!* Qui verò accedentibus spectatoribus, acceptâ prius pecuniâ, non nisi muscam vulgarem alis nudatam monstrabat. Ecquid præter muscam erraticam tu tuis monstrasti aliud? Hem dedecus! Nec longè ab hujus tuæ muscæ volatu &

mur-

Q

murmure aberrârunt quarundam turrium ædiûmve altio-
 rum craculi Mercuriales, quibus ipsis nec pudor aut metus
 fuit, famosas istas & plusquam vatiniâno odio vipereóque
 veneno conspurcatas atque infectas chartas Tackenianas
 ubivis locorum, quâ libuit, non licuit, latis alitibus atque ven-
 tis dispergere, & instar Mercurij alicujus Gallo-Belgici vel I-
 talici, ac si appendix quædam esset Relationum nundinali-
 um Francofurtensium, cum variæ sortis hominibus, imò ma-
 gni etiam nominis viris communicare. Sed mulxistis hîc,
 ô Caprimulgæ, non capras, sed culices, & pavistis, non hecti-
 cos aut phthificos, sed Elephantos, quo nomine magnas à
 me habetote gratias, qui simul à vobis hoc morale edoctus hic
 sum; Ex paucis eruditis paucissimos Bonos; ex multis ami-
 cis, amicum esse neminem. Heus verò, & tu crudelissime A-
 lexander, parce tandem mitissimo tuo Agathocli, & prohi-
 be, ne cum Leonibus committatur. Hic enim non hoc la-
 crymavit aut ebuccinavit, quòd aut vana Hephæstionis ali-
 cujus divinitas, aut mira Pyrrhi cujuspiam Epirotæ, aut
 Tarentini Evangelii, aut Nemesei Juvenis imaginatio sibi stul-
 tissima videretur, aut mortem magni Thrasonis in literis aut
 communem mentis errorem circa barrachomyomachiam
 vel metempsychosin animæ porci aut asini in corpus Bu-
 cephali aut Luscinia, miseratus esset; sed pristinae consuetu-
 dinis, Deos Musarum rectius colendi, atque sub Apollinei
 Numinis clypeo inter Pieridum castra longè aliter militan-
 di, memoriâ saltim permotus fortè fuit bonus Agathocles
 aut candidus Philalethes. Et heus tu, ut ad Te, præmissâ bre-
 vi hâc digressionem, me convertam, ô Tackeni. Confer quæso
 adducta & fidelibus hisce typis exscripta Serenissimi Electo-
 ris Brandenburgici Testimonia, quæ ipse de utroque nostrum
 perhibet. Te vocat (1) hominem maledicum (2) inutile ter-
 ræ pondus (3) quod Germania ægrè ferens ad Italiae oras e-

vomuit. (4) librum, quem tu Apologiam inscripsisti, famosum libellum impudentissimis mendaciis & convitiis refertum. (5) impudentissima figmenta. (6) convitia & scommata, à canino tuo dente prolata, efficta &c. (7) pura puta figmenta. (8) Neqvissimam & mendacissimam incusationem. Me verò appellat (1) fidelissimum & diligentissimum ministrum, (2) non tantum Divo Parenti suo, sed sibi quoque charum, (3) innocentissimum. (4) ab omnibus tuis convitiis & criminibus impactis alienum. Hinc quoque sanctissimam & religiosissimam suam fidem, omni exceptione majorem interponit, subinde inculcans; *Se Electorali & publico hoc testimonio me ab omnibus criminibus illis absolvere.*

Et verò quis majorem hujus criminis, cuius insimulor, notitiam habere unquam potest, quam ipse, cui *ingentem aureorum summam* furatus dicor? Imò ipse Serenissimus Elector Iudex in hac causâ est, cum ratione delicti, tum ratione mei, qui Serenissimæ Ejus Celsitudini juramento & servitiis sum obstrictus. Si jam Iudex de reo tam præclarum fert testimonium; de Accusatore verò contrà verissimum illud quidem, sed tamen, quod fidem ejus & bonitatem causæ prorsus tollit, annon Reus canet triumphum? Et verò, quamvis locupletissimis hisce testimoniis famæ & existimationi meæ abundè sit consultum, adeoque aliis defensionis mediis opus non habuissem, tamen ne ullam Adversarius meus conquerendi causam haberet, ac si inauditus fuisset condemnatus, ex abundanti eundem in forum Illius Principis, cui aureos illos me surripuisse mentitus est meus Calumniator, de consilio Iuris Consultorum protrahere conatus sum, eumque Ipsum, quem gravissimè læsisse videri poteram, Iudicem constituere ausus sum, eximiâ conscientiæ meæ rectæ fiduciâ. *Magna scilicet vis est conscientia, ait rectè Cicero (pro Milon.) & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint.*

sint: & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Mu-
 rus enim aheneus esto; secundum Poëtam; nil conscire sibi nullâ
 pallefcere culpâ; si fractus illabatur orbis, impavidû ferient ruina. Re-
 orum aliàs est, judicia, imò in universum lucem fugere, di-
 verticula & latebras quærere, quibus Iudiciorum severitatem
 possint effugere; Ego rectâ conscientia & bonitate causæ fre-
 tus, non citatus, non vocatus, non obtorto collo raptus, ut
 olim in Republ. Romanorum fiebat, sponte meâ non ad Iu-
 dicem tantum, sed eum, qui mihi ob furtum commissum
 quàm maximè iratus videri poterat, provocavi, cui præterea
 omnia, quorum insimulor, non possunt non esse manifestis-
 sima. Neque profectò exiguum bonæ causæ indicium est,
 ad illius Iudicium, quem læsisse dicimur & quidem enormi-
 ter, confugisse. Irati enim nobis longè judicant aliter, quàm
 qui nobis favent. Prudenter Aristoteles; (l. i. Rh. c. 2.) Ne-
 que enim similiter judicamus tristes & læti, cum diligimus & cum
 odimus. Idem evidentiùs: Neque enim eadem videntur iis,
 qui amant, & iis qui oderunt, neq; iratis, & iis, qui
 sedato ac composito animo sunt: sed aut omninò alia, aut certè non
 æquè magna. Nam qui amat eum, de quo judicat, is facile culpam
 ipsius aut nullam esse, aut exiguam putet: in eo autem, qui odit, con-
 trà evenit. Nihilominus, utut hæc omnia mihi perspectissima
 sint, ausus sum ad Sereniss. Electorem provocare, & suppli-
 ces literas Sereniss. Ejus Celsitudini cum debitâ subjectione
 porrigere. Verùm ipsarum Precum mearum supplicum,
 quas Serenissimæ Ejus Celsitudini humilimè pro impetran-
 dâ citatione obtuli, exemplar ascribere lubet.

(Lit. Hb.) Copia precum supplicum pro impe-
 trandâ Citatione.

Serenissime Elector, Domine Cle-
 mentissime,

De

Dēbita mea observantia requirit, ut pro felici regimine
 Serenissimæ Celsitudinis Vestræ Deum supplex ado-
 rem, & pro incolumitate Ejus Corporis dies noctesq;
 sim sollicitus. Gratias quoque humiliter ago, quòd Sere-
 nissima Celsitudo vestra, Illiusq;ve Dominus Parens glorio-
 sissimæ memoriæ, me Archiatri munere dignari & usque ad-
 huc Electorali gratiâ tueri voluerit. Fretus conscientiâ re-
 cti, coram Deo totoq;ve Orbe, hoc de me prædicare possum,
 quòd Serenissimæ Celsitudinis Vestræ Illiusq;ve Parentis pi-
 issimæ memoriæ salus & prosperitas habitâ officij mei ra-
 tione mihi unicè curæ cordiq;ve fuerit, & adhuc sit; hinc E-
 lectoralis gratia mihi obtigit, quâ & nunc fruor, eâq;ve de
 causâ fidelissimus vester servus vivere & mori cogito.
 Hâc fiduciâ innixus, quòdq;ve fideliter præstita à me officia
 liberum mihi aditum paraverint ad Serenissimam Celsitu-
 dinem Vestram, facere non potui, quin suppliciter hæc Sere-
 nitati Tuæ deferrem; quòd videlicet D. Otto Tackeni Ve-
 netiis degens superiori anno famosum libellum contra me
 absq;ve ullâ causâ, adeoq;ve ex merâ malitiâ ediderit, in quo
 nominis mei existimationem honoremq;ve non sine laude
 partum apud Sereniss. Celsitudinem vestram aliâq;ve mem-
 bra Sacri Romani Imperij calumniosè admodum suggilla-
 vit. Cùm verò calumnias hasce injuriosumq;ve libellum
 silentio opprimere haud possim, ne fortè quisquam mihi
 vulgatum illud objiciat; qui unam injuriam tolerat, alteram
 invitat; sed cùm juxta Ictorum opinionem crudelis habeat-
 ur, qui famam suam negligit; eamq;ve contra insultorem
 non tuetur, summè adducor ad hoc, ut innocentia mea o-
 mnibus innotescere possit; quandoquidem in hâc ultimâ fe-
 ce mundi, maleficium distamandi adeò frequens est, ut meri-
 tò poena illius sit aggravanda. L. aut facta § ult. ff. de poenis;
 quòd hic meus calumniator in primâ, quod dici solet, herbâ

opprimatur, ne suggillator ille ulterius famam meam con-
 demnat, ac philautiâ infaniam, sed in tempore ab iniquâ
 suâ aspergine desistat atque Harpocratem agat, os deni-
 que, quod quasi convitiis scatet, ipsi occludatur. Proinde
 fretus illâ fiduciâ, quam in Sereniss. vestram Celsitudinem
 habeo, intermittere non potui, quin hæc supplex referrem,
 non tamen in modum solennis sed simplicis facti narrati-
 onis; quod sæpe nominatus D. Tackeni superiori anno
 Venetiis malitiosè conatus sit, uti nuper comperi, nec ob
 gravem corporis ægritudinem, nisi nunc demum, me
 contra illum defendere potui, non modò titulum Docto-
 ris & officij mihi summo cum honore partum & hæc-
 nus usurpatum, adimere, verùm etiam in Apologiâ suâ
 falsò ita dictâ (rectiùs enim famosum libellum appellares)
 me falsarium, circumforaneum, Pseudochymicum, furem
 denique dicere non sit veritus; quòd scilicet crimen falsi
 commiserim; quòd Serenissimo Parenti Tuo gloriosæ
 memoriæ, ingentem aureorum summam per Aquam Re-
 giam abstulerim; Electorum & Principum aulas decepe-
 rim, quòdque ubi eos naso circumduxerim, sine dimissio-
 ne ex hæc in aliam aulam me contulerim. Probare id an-
 nititur, viventium destitutus, mortuorum testimoniis, quæ
 verò in æternum producere non poterit; viri quippe isti,
 quorum testimonia adducere vult, propter summam, quâ
 pollebant, auctoritatem, ne quidem de eo cogitarunt, qui-
 que eum tunc temporis vix dignum aspectu judicarunt,
 tantum abest, ut cum eo colloquerentur. Erat enim
 Pharmacopolæ cujusdam primipilus minister, & quidem
 in nuper exstructo pharmacopolio, quod est Regiomon-
 ti in suburbio, hodie verò Doctor appellatur. Cùm ita-
 que hæc & aliæ multæ in dicto injurioso libello, nefandæ
 calumniæ & malitiosa convitia tanti sint momenti, ea si-
 lentio præterire nullo modo possum; quandoquidem in

jure Civili, sacriq̄ve Rōmani Imperij constitutionibus & ordinationibus sub gravissimis pœnis cautum & prohibitum sit, ne quis alterum alicujus criminis aut maleficii reum faciat, aut diffamet. Hoc tamen omne turpiter Tackeni neglexit, & ejusmodi atroces diffamationes malitiosè protulit, quas, contra omnem juris ac æquvitas naturalis rationem atrocissimè illatas, quando ad animum revoco, non possum non me contra illas defendere. Spero quoque me Dei gratiâ, & auxilio Sereniss. Celsitudinis Vestræ eò rem deducturum, ut universo orbi pateat, contra omne jus & omnem æquvitas & honestatis rationem ejusmodi injurias mihi factas, adversariumq̄ve falsò absentis famam læsisse. Proinde supplicem pro, ut Serenissima Celsitudo vestra juxta *L. diffamari C. de ingenuis manumissis* contra diffamantem Tackeni severam citationem clementer decernere velit, ipsiq̄ve demandare, ut ipse præsens vel coram Sereniss. Celsitudine vestrâ vel Illustri Iudicio Cameræ compareat; is enim, qui alterius famam traducit, per hoc ad iudicium provocare intelligitur, quasi non vereatur etiam illud jure persequi, quòd dixit id, quòd coram ejus Iudice fieri oportet, quem diffamavit. Joh. Ferrar. Mont. *in process. L. diffamari n. 8. p. 472.* atque diffamationem cum accusatione publicè factâ, sicuti jure id fieri oportet, ordine intra certum tempus peremptoriè constitutum, probet, cum hâc comminatione, ut nisi id præstiterit, ipsi propter accusationem & diffamationem perpetuum silentium, cum refusione omnium, quæ vel jam sunt expensa, vel imposterùm expendentur, damnorum & interesse, per sententiam imponatur, nec posthac audiatur, sed juxta ordinem juris puniatur. Quod omne & quicquid præterea in commodum, favorem & emolumentum mei vergens, peti potuit aut debuit, per judicialem sententiam expecto. Quâ de causâ Sereniss. Celsitudinem tuam pro admi-

mi-

ministrandâ justiciâ, ac competentibus opportunis ac
 necessariis remediis Iuris humiliter debitâqve submissi-
 one rogo & obtestor, Ego interea vivam & moriar

Sereniss. Celsitud. Vestræ
 Subjectissimus
 Helvicus Dietericus D.

Quibus acceptis & clementissimè perlectis, Serenif-
 sima Ejus Celsitudo indignitate rei & atrocitate scele-
 rum, quorum innocens insimulatus sum, mota, æquum
 justumqve duxit, precibus meis humillimis clementissimè
 locum relinquere. Quapropter sine morâ Camerali
 Consilio mandat, de causâ deliberent, & quid facien-
 dum videatur, humillimè referant. Mandati verba hæc
 sunt:

(Lit. Ii.) Copia Mandati Electoralis Brande-
 burgici ad Electorale Iudicium
 Camerae.

Generosi, Nobiles &c. Quàm gravissimè apud Nos,
 Doctissimus juxtâ ac fidelissimus Archiater noster,
 D. Helvicus Dietericus conquestus sit, de atrocibus ca-
 lumniis & neutiquam ferendis injuriis, quibus licet pror-
 sus innocens, ab Ottone Tackeni (ita enim se appellat,
 jamq; Venetiis degere dicitur) in libello famoso, modo pœ-
 nâ dignissimo, publicè affectus est, ex annexâ humili sup-
 plicatione, iisq; quæ ad honoris sui tutelam anxie petit,
 » satis superq; cognoscere poteritis. Quamvis autem No-
 » bis de Archiatri nostri innocentia bene constet, eumq; ple-
 » nè absolvamus ab omnibus, quæ diffamans ex merâ ma-
 li.

titiâ ipsi affingere conatur, vitio tamen eidem minimè ver-
 tere possumus, quòd, quantum ad se attinet, nominis sui exi-
 stimationem tueri, & licitis mediis quovis modo conservare
 studeat. Quâ de causâ & Nos supplici ejus petitioni cle-
 menter annuere voluimus. Vt autem in his omnibus ordi-
 ne, & uti fieri consuevit, procedatur, vobis hanc rem trans-
 mittimus, & clementer mandamus, ut perspectâ necessitate
 hujus, famam & existimationem concernentis, negotij, ita il-
 lud quàm citissimè expediatis, prout supplicantis petito &
 juribus erit conveniens. De quo nullo modo dubitamus.
 Nos &c. Datum Coloniae ad Suevum, decimo quarto die
 Aprilis Anno 1653.

(L.S.)

Fridericus VIIhelmus.

Ad Electorale Iudicium Camerae, quod est Coloniae
 ad Suevum.

A Ccepto Electorali mandato Sereniss. Celsitudinis Ejus
 Consiliarij, viri Genere, virtute, eruditione, prudentiâ
 & longo rerum usu præstantes, re probè consideratâ,
 unanimi consensu concludunt, Calumniatorem ex latibulo
 suo esse producendum & in augustum forum vigore juris,
 quod omnes Gentes sanctè colunt & observant, certè debent,
 protrahendum, ut quas atroces injurias & inaudita mendacia
 impurissimo ore in totius orbis conspectu in me innocentissi-
 mum eructare non erubuit, verissimis & omni exceptione
 majoribus testimoniis aut probet, aut si in probando defi-
 ceret, impudicam linguam sibi æterno silentio troenari pati-
 atur. Quem in finem Serenissimi Electoris Dicasterium sur-
 R. pre-

R.

pre-

premiū literas observantiæ & humanitatis plenissimas ad Serenissimam Rempubl. Venetorum misit, obnixè rogans, ut aut diffamatorem ex præscripto legum Civilium coram Electorali Dicasterio summo comparere severè jubeat, aut si hic agendi modus usu & legibus receptus fortè minùs probaretur: patrociniū innocenti mihi ne denegat. Literæ, quæ mittebantur, hæ fuerunt.

(Lit. Kk.) Copia literarum supremi Iudicij Electoralis ad Serenissimam Rempubl. Venetorum.

Serenissima Respublica.

Graviter apud Serenissimum Electorem Brandenburgicum, Dominum nostrum clementissimū, de injuriis à Serenitatis Vestre incolâ D. Ottone Tackenio sibi illatis, conquestus fuit Helvovicus Theodoricus, Serenitatis suæ Electoralis Medicus, dictumq; Adversarium eò audaciæ progressum memoravit, ut non tantum libellis famosis, passim in vulgus sparsis, honori & existimationi ipsius multum detraxerit: sed & atrocissimorum criminum furti ac falsi insimulare veritus non fuerit. Cùm itaque crudelis sit, qui famam suam negligit, idcirco injurias hasce, cùm atrociores sint, quam quæ dissimulando tolerari possint, legitimis & jure concessis remediis vindicare & Serenitatis vestre opem pro justitiæ administratione implorare decrevit, seq; intercessione Serenissimi Electoris, Domini nostri clementissimi adjutum, facile voti sui compotem fore confisus est. Iussu itaque Serenissimi Electoris, Domini nostri clementissimi, Serenita-

tem

tem vestram obnixè rogamus, quò Medico huic Electorali. haud gravatè dextram porrigere dignetur, ac pro Authoritate Imperij sui D. Tackenio, cùm ex præscripto legum civilium Diffamator in foro diffamati comparere & agere teneatur, certum terminum, ad summum semestri spatio coarctandum, præfigat, intra quem coram Dicasterio Sereniss. Electoris Brandenburgici supremo se sistere ac diffamationes probare constringatur, sub comminatione non tantùm perpetui silentij & refusionis expensarum, sed & aliarum poenarum, quas Iura iis, qui datâ operâ innocentem convitiis proscindunt, ejusq. famam, vitæ comparandam, libellis famosis imminutum eunt, ubi vis sive civilis seu criminalis actio intentetur, irrogant. Quòd si Serenitati vestræ hic agendi modus, usu & legibus receptus, minùs probabitur, cuius tamen contrarium planè nobis pollicemur, Eam tamen rogatam volumus, Patrocinium Innocenti huic, & tam indignè injurias passo Medico, ibi locorum præstet, inq. Adversarium tam conspicuum Severitatis exemplum statuatur, quò audaciâ ipsius & calumniandi libidine repressâ, parti læsæ satisfieri possit. Operam hanc & Iustitiæ administrationem Serenissimus Dominus Elector in summâ amicitie parte ponet, seq. Serenitati Vestræ omni officiorum genere & arctissimo conjunctionis nexu devinctum, quâvis occasione probabit. Nos autem Serenitati Vestræ, Cujus prudentissimam gubernationem semper summis laudibus ce-

lebrandam duximus, debitum cultum & animum observantissimum lubenter meritoq; offerimus ac pollicemur. Datae Coloniae ad Spream 27. Aprilis Anno 1653.

Serenitatis Vestrae

Observantissimi

Præses & Consiliarij Supremi
Dicastery Electoratus Brandenburgici.

Inscriptio.

Serenissimo Principi, Illustrissimis, Magnificis atque Nobilibus Dominis, Dominis, Serenissima Venetorum Republica Electo Duci, nec non Senatoribus universis ac singulis, Dominis nostris summam animi observantiam colendis.

HAs impetratas ego sine morâ Venetias transmitto, spe plenissimus, fore, ut Serenissima Respublica vel amore & authoritate Electoris, vel justitiâ & æquitate, cujus semper fuit tenacissima, quo tanquam fundamento nixa ultra mille annos inconcussa stetit, mota, non tantum meae innocentiae, quam Majestates civiles, ab immortali Deo in tutelam bonorum & vindictam malorum constitutæ, nunquam non tueri debent, promptum patrocinium sit præstitura; sed insuper inauditam pessimi hominis calumniandi libidinem in terrorem malorum illustri severitatis exemplo repressura. Et ut eò majus dicta Citatio pondus haberet, Nobilissimus Amplissimusq; Senatus Hamburgensis Intercessionales, ut loquimur, ad eandem Serenissimam Rempubl. addere voluit, quæ sic habent.

Lit.)

(Lit. Ll.) Copia Intercessionalium Nobilissimi &
Amplissimi Senatûs Hamburgensis ad Serenissimam
Rempublicam VENETAM.

Diu multumq; nobiscum conqvestus est vir Doctissimus & Ex-
perientissimus Dn. Helvigijs Dietericus, Med. Doctor, quod
non nemo in urbe Venetâ hoc tempore commorans, nomine Ot-
to Tackenius, adversus ipsum scriptum aliquod famosum, cujus titu-
lus est: Apologia contra Falsarium & Pseudo-chimicum Helvig Di-
dericum: Venetijs imprimi curaverit. Cùmq; præcipua in præfato
libello famoso objecta crimina ejusmodi sint, ut Serenissimus Elector
Brandenburgicus de iis optimè judicare possit, Serenissima autem Cel-
situdò Ejus dato, Doctori Dieterico, amplissimo & honorificentissimo
Innocentiæ testimonio, falsitatem convitiarum istorum jam abundè
satis detexerit, Nos quidem soli faculam addere libenter supersede-
mus. Postquam autem accepimus inter alia, quæ in sæpè dicto li-
bello dispersa sunt, ut viri famam atq; existimationem suggilla-
rent, etiam illud esse, quod sit homo vagus, qui nullibi sedem stabi-
lem fixerit, non possumus non hisce attestari, dictum Doctorem Hel-
vigijs Dietericum civitate nostrâ donatum, Civemq; nostrum es-
se, ac inter primarios numerari, Eumq; cum Duodecim-viri nostri (est
autem Duodecim-viratus omnium primus inter Cives nostros digni-
tatis Ordo) Heinonis Sylms piæ memoriæ filiâ matrimonium justum
& legitimum, ante biennium & quod excurrit, contraxisse, & ab eo
tempore sedem & domicilium constans in hac urbe nostrâ habuisse.
Verum equidem est, Eum sæpiùs abesse domo, sed cùm viri celebri-
tas in Arte Medicâ tanta sit, ut Eum summis infimis æquè charum
reddat, & Serenissimus Elector Brandenburgicus, Illustrissimus Dux
Holsatiæ, alijsq; circumjacentes Principes & Magnates sæpiùs do-
mo, cum cordis nostrorum Civium, advocent, & præsentiam ejus, o-
pem & Consilium in gravioribus morbis requirant, tantum abest, ut
hujusmodi absentia & evocationes viri famam possint minuere, ut

eti

etiam maximoperè augeant illustrioremq̄ reddant. Quapropter cum Dn. Helvicius Dieterich Med. Doctor, sit Civis noster, vir integræ vitæ, & famâ viris Principibus & Concivibus suis imprimis propter singularem in Arte Medicâ scientiam & curandi morbos felicitatem juxtâ charus, minimèq̄ dignus, qui ad istum modum convitiis proscindatur, Serenissimam Vestram Celsitudinem, Illustrissimas, Generos. ac Nobiliss. Dominationes Vestras intercedendo, quâ decet observantiâ, rogamus, ut pro singulari Ejus Clementiâ atque erga Justitiam amore, dictum Otthonem Tackeni propter in vulgus sparsas typisq̄ commissas diffamationes calumniasq̄, adversus Doctorem Helvicum Dietericum pro meritis seriò punire, librosq̄, famosos, si quæ ejus Exemplaria adhuc Venetis apud Bibliopolas venum prostant, confiscare, ac ne ulterius vendantur, mandatis pœnalibus inhibere velint. Quod sicuti Sereniss. V. Celsitudinis ut & Illustr. Generos. ac Nobilissimarum Dominationum Vestrarum singularis clementia atque erga justitiam & æquitatem amor sperare Nos facit, ita Sereniss. Vestram Celsitudinem, ut & Illustr. Generos. ac Nobiliss. Dominationes Vestras hisce nostris observantissimis Intercessionalibus clementissimè locum daturas omninò confidimus, & Sereniss. Vestre Celsitudini, ut & Illustr. Generos. ac Nobiliss. Dominationibus Vestris felix imperium, vitam longam, omniaq̄, fausta feliciaq̄, animitus comprecamur. Dabantur Hamburgi, die XXVII. Maj. Anno M. DC. LIII.

(L.S.)

Proconsules & Senatores
Reipublicæ
Hamburgensis.

Serenissimo atque Celsissimo Principi ac Domino, Domino Francisco Mollino, Duci de Venetiis, nec non Illustribus, Generosis, Magnificis atque Nobilissimis Dn. Dn. Præsidi, ceterisq̄ Senatoribus & Consiliariis Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, Dominis nostris clementissimo atque gratiosis.

Ve-

Verùm spes illa, quam firmiter antea conceperam, me multùm fefellit. Mandavi Filio meo primogenito, Iohanni Christophoro, Patavij studiorum causâ commoranti, Medicinæ Candidato (qui verò & actionis hujus ingrata & vitæ molestæ pertæsus, adepto jam jam summo studij Medici Gradu paullo pòst, non sine ingenti meo marore, in vivis esse desiit) & ejus Ephoro Michaëli Kirstenio, hodiè Medicinæ Doctõri, ut per Notariũ & testes legaliter requisitos Citationem Serenissimi Electoris Iudicij supremi subsidialem Serenissimæ Reip. debito modo insinuarent, quò de redditione dictæ Citationis certus essem. Formula Requisitionis, quam tum Notario Veneto trans mittebam, hæc erat.

(*Lit. Mm.*) Copia Requisitionis sic dictæ schedulæ ad Notarium (aliquem) Venetum
N. N.

Magnifice Domine Notarie, Amice honorande. Ego infra scriptus Dominationi Vestræ in præsentia horum duorum fide dignorum & ad actum hunc requisitorum Testium notum hæc Requisitionis sic dictæ schedulæ, facere volui; præterlapso Anno 1652 editam hinc esse Ottonis Tackenij Epistolam de liqore famoso Alcahest, non sine consensu aut voluntate ipsius Authoris: (de quo supra suo loco.) Is verò, re hæc, infido nuntio, nimis præproperè ac præposterè Venetias delatâ, hinc irasci; publico famoso scripto mox contra me insurgere & debachari, titulumque illi facere; *Apologia contra Falsarium & Pseudochimicum Helvwig Didericum*; Ejus item libelli ducenta (si non plura) Exemplaria mittere Norinbergam ad notum aliquem Mercatorem, atque isthoc modo & opere infamiam meam, quantum in se fuit, per orbem universum divergere. Ego quid facere hic aliud, quàm si Consilio juris-Consultorum apud Sereniss-

nif-

nissimum Electorem Brandenburgicum, Fridericum VVilhelmum, Dominum meum clementissimum, de illatâ hâc publicâ injuriâ conqvereret? Exauditus ibi in foro meo competente, non solum *Testimonium Innocentiae* publicum, sed & citationem ex *L. diffamari*, ad Serenissimum Senatam Venerum contra Adversarium hunc meum Ottonem Tackeni ultrò & facile quidem impetravi. Literas illas Electorales Brandenburgicas junctis Intercessionalibus à Senatu Hamburgensi, sub cujus tutelâ ad tempus hîc habito, magnâ fide & spe bonæ causæ optimiqve successûs mihi concessis, dudum hinc misi Venetias. Sed nescio, quo fato factum, ut hæc illæ sine fructu ibi delituerint, cum loco Notarij publici invenerint Advocatum, cujus verò ope Ego hâc meâ in causâ ibi inter vos Venetos nondum indigeo, nec indigere videor. Opus n. hoc scio videoqve per Notarium solum perfici posse. Quâ de re maximoperè rogo, ut Dominatio vestra vel literas illas priores, Electorales & Hamburgenses, si nondum illæ traditæ & ad manus quidem adhuc sint, vel earundem copias, quas junctâ meâ humillimâ supplicatione sub literis A. B. hîc mitto, non solum Serenissimo Senatui Veneto, sed & alterum fasciculum literarum sub Numero I. ipsimet Ottoni Tackenio, Adversario meo, ubi ubi ille Venetiis habitet & reperiri possit, duobus distinctis actibus, in præsentia duorum requisitorum Testium solenniter & decenter insinuare atque exhibere, omnia & singula, quæ circa hunc oblationis actum acciderint, nec non quid responsi, pro vel contra, utrinque ceciderit, in primis quæ Adversarij mens aut opinio sit, an is in foro meo Electorali Brandenburgico Coloniae ad Spream comparere & articulos suos contra me probare, aut perpetuùm posthæc silere vel quicquid aliud facere vel intermittere velit aut possit, nec ne; diligenter observare, Protocollo suo inserere, ac desuper unum vel

vel

(Lit. Nn.) Fragmentum ex Literis D. D. Michaëlis Kirstenij, 1653.

Acceptis tuis literis continuo nos repetiimus Venetias. Adiimus duos Notarios, ut ex eorum consensu intelligeremus veritatem. Exposuimus nostrum negotium, celatis personis. Responderunt ambo eadem, scilicet, non licere per leges Reipublice Notariis administrare tales causas, quæ ad Senatum attinent, & criminales sint. Sibi tantum relictas esse causas privatas civiles, & maxime, quæ posite sunt in contractibus. Se consilium dare ut adeamus Secretarium Collegij Serenissimi Principis, eum solere literas deferre ad Collegium; (quod est compendium Senatûs, & in quo omnes literæ ad Principem & Rempubl. missæ perleguntur) Collegium deinde facile iussurum, ut fiat executio: tum sese inservire posse, ita permittente, vel iubente Collegio: Vel etiam Collegium publicas Personas ordinaturum pro nostrâ satisfactione. Intellexi verò hoc, quòd scilicet Notarij Veneti careant ista authoritate, etiam ex Iuriconsulto, de quo mox; qui addebat, olim Notarios scribere consuevisse, ut apud Nos, Authoritate Imperiali, quod ipsis severissime fuit interdictum, Idem asseruit Ictus Venetus. Erat, scribit in iisdem literis, Ictus Venetus nobiscum in navi, cum huc veheremur; Eum offendimus in Palatio casu. Erat homo valde commodus, & qui Ottonem Tackenum per transfennas, uti apparebat ex omnibus, nunquam viderat. Is nos percontari, quid ageremus in hoc loco? Ego tergiuersari primum, metu illo propter Iudeos. Mox ausi fuimus quædam ipsi narrare dissimulatis personis. Domini, respondit ille, primum Notarij sunt tales apud Nos, & descripsit, uti superius. Deinde Citationem illam vestram non obtinebitis, nisi per summam gratiam. Leges Imperiales apud Venetos non curantur. Et illa Lex diffamari non valet, ut ipse loquebatur. Si in vestris literis mentio est facta ejus legis, omnino cecidistis. Obturant aures Veneti ad tales leges, neque tamen aperte negabunt quicquam. Ducent vos per longum temporis spatium & morâ conficient. Ita verò accidit, ut

ut ille prædixit, ob omni suspicione alienissimus. Ille idem nobis scripsit supplicationem ad Collegium. Intromissi sumus. Lecta ea est, Nobis quidem præsentibus & audientibus. Res iterum ad Savios delata, cum ostensione alicujus spei. Ab eis bis rejecti fuimus ad Senatum, quos vocant Pregadi. Nos frustra expectavimus, frustraq; memorialia nostra porreximus. Cùm hæc spes decollavit, coacti sunt ipsi de Consilio & Notariorum & Jurisconsultorum literas illas & Brandenburgenses & Hamburgenses Collegio reddere. Verùm quomodo acceptæ, & quid porrò eas fuerit sequutum, malo ipsius Kirstenij, quàm meis verbis exponere. Igitur redditæ sunt, inquit, à nobis literæ Collegio. Quod curavit nobis renunciari; rem esse arduam, opus habere deliberatione. Savios negotium deliberaturos, & nos expedituros esse. Qui appellati etiam initio suaviter respondebant. mox difficiles reddi. Res semper differri, licet & domi à nobis compellarentur, & conclave ingressuri memorialibus, uti vocant, onerarentur. Ubi aliquot septimanæ fuere præterlapsæ, & nihil acceperunt responsi, jam supplicationem à ICto illo, cujus antea memini, confectam de maturandâ vel Citatione, vel saltem responsione, dicto Collegio porrigunt; ubi, ait Kirstenius, (cujus verba repetere cogor) intromissi sumus. Lecta ea est. Res iterum ad Savios delata, cum ostensione alicujus spei. Ab eis bis rejecti fuimus ad Senatum, quos vocant, Pregadi. Nos frustra expectavimus, frustraq; memorialia nostra porreximus. Quùm intellexerunt mei, frustra omnes esse preces & supplicationes, Kirstenius ultimum subiit ausum, & Dominum Savium seu Sapientem illius hebdomadæ denuò compellavit; ita scribit: Adij quàm primùm Dominum Savio sive Sapientem hebdomadæ. Dixi de nostro negotio, ut decet. Ille ait; Vestra causa heri non potuit tractari; rejecta est in proximum Senatum. Hæc verba erant. Ubi omnem spem abjecerunt, Citationem unâ cum Intercessionalibus repetierunt: sed & hoc frustra; ita il-

Iē; Aſcendi in curiam vel Palatium, collocuturus cum Secretario no-
 ſtro. Non aderat. Aderat alius, cui dixi; quoniam nihil obtinere
 poſſumus, Venetâ Iuſtitia aliter ſentiente, velle me repetere ſcriptu-
 ras noſtras; Ille, non dabuntur, reſpondit, & perdes, ſi quid ſuper eſt
 cauſa bona. Imò Citatio & interceſſionales non in Cancellariâ Du-
 cali, ſed ſecretâ fuere reſpoſita, unde nulla dantur copia. Ita Kirſte-
 nius; & porro: Aliam rem narrare debeo. Eſt conſuetudinis, ut
 tales ſupplicationes ſubſcribantur, ad quos pertineant, & inferantur
 in Cancellarium Ducale, unde peti poſſunt copia cum illâ inſcriptio-
 ne, quæ ſunt pro vice fidei publica, quòd illata ſint in Senatum tales
 Scriptura. Noſtra verò reſpoſita eſt in Cancellariâ ſecretâ, unde
 nulla dantur Copiæ. Ergò omninò apparet, nolle eos cauſam noſtram
 determinare, quam fugiunt: Velle nos morando conſicere: adeo-
 que potiffimam cauſam, ſive denegandi ſive protrahendi ju-
 ſtitiam, eſſe, quòd in Electoralibus literis mentio facta fuerit
 Legis diffamari: de quâ cauſâ paucis dicendum erit. Enim-
 verò me non latet, liberam eſſe Rempublicam Venetorum,
 nec ullum Superiorem in his terris recognoscere, præter-
 quam Deum immortalẽ; adeoq; vi coactionis & ſuperiori-
 tatis Legibus Romanis ſeu Imperialibus nequaquam eſſe ſub-
 jectam. A primo enim tempore, quo conſtituta eſt, ſub At-
 tilâ Hunnorum Rege, Italiam tum invadente, jure Reipubli-
 cæ Liberae uſa eſt, quæ duratio ſub unâ Regiminis formâ nulli
 unquam terrarum Orbis Imperio, Regno aut Reipublicæ
 contigit. Nec me præterea fugit, Iuris Conſultos variis ti-
 tulis ejus libertatem ab omni Imperatoris Romani aut al-
 terius ſuperioris poteſtate immunem defendere; alios ſcili-
 cet ex Iure Gentium, quòd in mari ædificata ſit, quòd in nul-
 lius Dominio erat. Ut Baldus (ad rubr. ff. de rer. diviſ.) Ia-
 ſon (ad l. ex hoc jure de juſtit. & jur.) & Caſtaldus; (de Imper. q.
 54.) alios ex conſeſſione & Privilegio Imperatorum; quòd
 ſe ſub Aureâ Bullâ vidiffe teſtatur Albericus de Roſate; (ad L. I.

n. 20. C. de summ. Trinit.) Alios ex præscriptione tanti temporis ; ut Gabriel (in comm. concl. l. 5. tit. 1.) Matheacius (de via & rat. jur. c. 36.) & Tufchus, (Concl. 70. n. 3.) in quo nec Imperatoris Romani, nec alterius superioris Dominationem unquam recognoverunt, sed naturali suâ libertate semper huc usque gavisi fuerint. Nunquam enim sub alterius potestate fuerunt, ex quo capta est ædificari illa Civitas. Imò cum ante hæc novem ferè secula Carolus Magnus pacisceretur cum Irene & Nicephoro de Imperij divisione, utrinque consenserunt, Venetos ab alterutrius potestate liberos conservandos, & ut Veneti suis Legibus uterentur, uti Menochius, Tufchus, Castrensis, Peregrinus, Arnisæus, Sabellicus, Sigonius & alij plures uno testantur ore. Ut indubitatum sit, Eos vi coactionis & Superioritatis his Legibus nequaquam subesse. An verò propter eximiam æquitatem, quâ hæc Leges pollent & reliquas omnes excellunt, nunquam apud ipsos fuerint receptæ, neque aliqua earum pars, dubitatione minime caret. Sanè cum nobilis illa Controversia inter ipsos & Paulum Quintum Pontificem agitabatur, plures, qui à partibus ipsorum stabant, ad jus Romanum civile provocabant, & ex eo tria illa capita controversa de supplicis Clericorum, alienatione immobilium in loca sacra, & fundatione novorum locorum religiosorum decidi volebant. Certè Jacobus Leschasterius nobilis Ictus in Consultatione suâ Parisiensi, quam in Venetorum gratiam contra Pontificem edebat, disertè in aliquot locis fatetur, & repetit, Serenissimam Rempublicam sub iure Romano esse natam, educatam, crevisse & hodiernum stare. Verba ejus recitabo. *Sub hoc jure (intelligit verò Civile Romanum) nata est Serenissima Respublica Vestra Christiana, Catholica, sui juris, libera: ab hoc alita, instituta, aucta, & summam dignitatem merito consequuta: ad ejus præscriptum vixit, & Italia maximam partem viventem vidit.* Ut ad eò negandum

dum non sit, Venetos Ius civile non planè aspernari aut respuere. Præterquam enim, quòd Iuris Civilis Professorum tanquam Assessorum operâ & Consilio in iudiciis suis, uti disertè tradit Angelus Matheacius, (*de via & rat. jur. cap. 36.*) utantur, pluresque sententias Auditorum Venetorum in scriptis promulgatas se Venetiis vidisse testetur Decianus, (*in Apol. advers. Alciat. cap. 9.*) Ipsi Iudices Veneti in Appellationibus Patavinis secundum Ius Civile pronunciare tenentur. (*Astur. Duck. lib. 2. de authorit. Iur. civil. p. 105.*) Imo Serenissimæ Reipublicæ curam de conservando Iure Civili, unica Academia Patavina demonstrat, ad quam Clarissimos Italiæ Iuris Consultos magnis stipendiis invitant pro docendo Iure Civili, in quâ præter alios plurimos Ius Civile nuper professi sunt Tit. Decianus, Iacob. Menochius, Franc. Card. Mantica, & Anton. Peregrinus, qui tantum lucis & ornamentum Iuri Civili attulerunt. Neque verò Iuris Romani receptio aut usus ullam Iurisdictionem secum trahit; aliàs Gallia, Hispania, Portugallia, Suecia, Anglia, imò omnes ferè Europæ, & extra eam multæ aliæ Respublicæ Romano Imperio essent subiectæ; quæ pleræque hoc jus colunt. Verùm posito, nullam esse huius juris apud eos authoritatem, (quod tamen falsum esse suprâ satis ostensum est) id tamen, quod naturæ, quod gentium juris est, detrectare nullo modo poterunt. Si enim omnia ea rejicienda forent ab illis Rebus publicis, quæ Ius Romanum non receperunt, eo nomine, quòd jure Romano essent sancita, jam pleraque, quæ Iuris naturæ, pleraque quæ Iuris Gentium sunt, simul eliminarentur. Pleraque enim, quæ his Iuribus sunt consentanea, in hoc thesauro esse recondita, & lectio satis testatur, & quivis sapientes & Romani disertim scribunt. (*Tot. Tit. Inst. de jure natur. Gent. & Civil.*) Porro nullum adulterium, homicidium, rapina, stuprum, parricidium, fratricidium, sacrilegium,

læsæ Majestatis crimen justis suppliciis subjugandum foret; quoniam hæc omnia Romanâ sanctione sunt vetita. Quo quidem sensu Venetos Romana Iura abnuere non crediderim, imò certus sum, Serenissima enim Respublica non tantum Iura divina, sed naturæ & Gentium religiosè colit & observat. Ex quorum fontibus Legem *diffamari* haustam esse nemo dubitaverit. Praclarè Ioh. Oldendorpius; (*in lib. de interpret. L. diffam. n. 1.*) *Nulla unquam lex est scripta, quæ plures habeat in naturâ causas, quæque hisce corruptis temporibus, hoc est, perperam educatis hominibus hujus sæculi, alioquin felicissimi, magis conveniat, quàm ista. Omnibus enim modis respondet Decalogo, in quo sunt axiomata divini Iuris: Non occides: non sis testis iniquus: non furaberis. Quæ omnia facit diffamator, sicut inferius apparebit. Paulò post; (l. d. n. s.) Superat iniquitatem, quæ presentes solent à delinquentibus gravari. Nam qui adsunt, hi possunt plerumque adversus imminentem malitiam se defendere. Absens verò læditur, perdit famam nesciens, sine ullâ defensione: non aliter, quàm si ligatus occideretur sine causâ. Quid autem crudelius? Itaque delinquit diffamator injustus, occidit hominem, furatur nomen, improbo lædit testimonio. Adeoque cum Decalogo, cum Naturæ, cum Gentium Iuri sit omnimodò consentanea, prono alveo inde fluit, eâdem etiam Venetos obligari, licet Romanâ sanctione comprehendatur. Ad omne verò Iudicium etiam de Iure Naturæ & Gentium institutum necessarius est Actor, Reus & Iudex; quod nemo fortè negaverit. In Iudicio enim propriè dicto necesse est, ut sit, qui accuset, & qui actionem excipiat, seq̄ve tueatur, & qui inter illos controversantes jus dicat. Iam porrò aliter fieri planè nequit, quin is, qui Iudicis officio sit functurus, vim quandam cogendi habeat, quâ reo necessitatem imponere queat faciendi id, in quod fortè illum condemnat. Absque coactione enim illâ si fuerit, omnia Iudicia erunt elatoria & in-*

& inanis verborum disceptatio. Quicumque itaque cum effectu cum aliquo litigare, jusque suum adversus ipsum persequi vult, necesse est, ut adeat illum Iudicem, cujus potestati sit subiectus; aliàs nunquam, quod intendit, assequi poterit. Hinc naturaliter justum est, *Actorem sequi forum Rei*. Quod sanè Juris Civilis Romani figmentum non est: sed ipsi Iuri Naturæ conveniens, neque in Germaniâ, aut aliâ quâpiam Republicâ particulari justum; sed ubique terrarum, ubi homines à rectâ ratione non planè desciscentes degunt. Neque propterea definit esse Iuris naturalis, quòd in legibus Romanis sit sancitum, cum aliàs *coneste vivere, neminem ledere, jus suum cuique tribuere* (§ 1. *Inst. de just. & jur.*) etiam forent juris positivi Civilis. Iure itaque hoc naturali Veneti etiam sine omni dubio quoque erunt obstricti. Iam verò diffamans, seu qui immeritò alicujus famam lædit, est actor; Quapropter indubitatè sequitur, diffamantem diffamati forum necessariò sequi oportere. Me verò diffamatum esse, & Tackenium diffamantem, apertum est; quapropter cum naturæ Iure justum sit, Eum sequi oportere meum forum, quod Serenissimi Electoris Brandenburgici est, rectè & optimo Iure ab inclyto Iudicio Aulico cum fuisse citatum, omninò pertendo.

Ut verò solidè demonstrem, Eum, qui alterum diffamat, seu injuriâ sive scriptâ, sive verbali, lædit, reverà esse actorem, & tacitè ad Iudicium provocare, paucis res ita se habet. Iuris naturæ est, *neminem esse ledendum*; quod in universum omnes obligat homines, quarumcunque demum terrarum sint incolæ. Qui autem alterum diffamat, utique lædit; id enim ei eripit, quod vitâ ipsâ charius est, aut certè pari passu cum eâ ambulat, nempe existimationem & famam, quæ profectò vita quædam civilis est, uti suprâ ex Philone Iudæo ostendi. *Hâc homini nihil majus, nihil jucundius dari.* Plinius
af.

afferit; (*lib. 3. Ep. 20.*) *hac etiam nihil gloriosius & carius adimi potest.* (*Ibid.*) *Graviorem ejus, quam vel omnium bonorum esse amissionem,* Ecclesiastes ait; (*cap. 41. v. 13. 10.*) *imò ipsorum oculorum,* ut censet Imperator. (*l. s. C. de decur. tit. 10.*) *Quocirca qui diffamat, gravissimè lædere in propatulo est. Quùm verò incertum sit, an vera sint crimina, quorum diffamatus insimulatur, an falsa, & verò cum Naturæ jure pugnet, alterum innocentem ita lædere; aut si vera sint, se non constituere Iudicem; sed reum, quem tantis sceleribus infectum novit, in judicia gentium jure constituta, ipsâ naturâ necessitatem eorum monstrante, pertrahere debet, & quidem illa judicia, quorum vi & facultati cogendi diffamatus est subjectus. Iudicia enim gentium, imò naturæ juris esse, nemo facile negaverit; rursus neminem sibi jus dicere & alterum pro libitu lædere licere; sed si quæ scelera ipsi innotescunt, ad Iudices competentes referre debere, itidem palàm est. Quapropter indubitatè sequitur, nemini licere alterum diffamare, aut si diffamat, eo ipso vi & autoritate juris sive naturæ sive gentium, provocare ad judicium diffamati, tanquam legitimum locum ejusmodi controversiis decidendis destinatum, & per consequens diffamato quasi imponete necessitatem, ut Iudicis sui officium imploret, ut diffamans, qui jam tacitè ad Iudicium provocavit, probet ea, quorum eum insimulat, aut si non possit, taceat. Quæ profectò æquitati non tantùm, sed ipsi rigori juris accuratè conveniunt. Hoc est, quod *L. diffamari* postulat, scilicet nil nisi quod decalogo, quod juri naturæ & gentium est conveniens. Adeoque Veneti nullam habent causam tergiversandi in eo, quod illis juribus, quorum obligationi se planè subtrahere nequeunt, justum est. Hoc docent jam unanimi consensu Jurisprudentes Itali, Galli, Hispani, Germani & aliarum gentium sapientes. Audiamus paucos. Barthol. Blarerus: (*lib. 1. in L. diffam.*) *Verùm**

rùm his omnibus non obstantibus, contraria sententia, ut verior ac iuri magis consona rectè recepta est: Iudicem nempe diffamati & non diffamantis in hoc Iudicio requirendum, ac competentem esse; imò quòd ubique diffamans, tanquam in foro competenti conveniri queat. Paulò post. (num. 3. ib.) Manifestum siquidem est, definitionem atq; doctrinam Baldi hic, quòd diffamare nihil aliud sit, quàm ad Iudicium provocare, ut veram communiter ac uno quasi calculo à Doctoribus comprobata esse atque receptam. Inde igitur necessarium argumentum proficiscitur, agentem ex L. diffamari propter diffamationis periculum atque discrimen ad defensionem compelli, atque idcirco verè ac legitime ut primitus provocatum, reum, minime autem actorem dici oportere: cum actionem hanc non nisi diffamatione compulsus tanquam defensionem necessariam suscipiat, nihilq; aliud quàm ut diffamans agat, aut porro taceat, in iudicio impetrare conetur: quod utique agere dici haud poterit, cum hoc nihil aliud sit, quàm jure persequi in iudicio, quod sibi debetur. Cum igitur experienti ex l. diffamari actionis legitima definitio nullo modo competat, illum quoque rectà ratione actorem dici non posse constat. (Instit. de action. in princip.) Cæsar Contardus; (in L. diffam. n. 5.) Quia diffamator se tacitè astringit ad agendum & diffamare est provocare & lacescere ad Iudicium, ita quòd se defendere diffamatus cogitur. Hanc imprimis rationem declara; quòd licet diffamatus stimulatus dici possit, ut ab infamià se defendat, non tamen huiusmodi defensio necessaria est necessitate præcisà, ut per Can. & maxime Dec. in c. intelleximus, num. 16. de jud. secundo declara, ut Bald. nihil aliud intellexerit, quàm quòd diffamatum venire, ut reum quodammodo citatum à vociferatione ad Iudicium. Unde nihil mirum est, si defensoris partes sustineat, ac diffamatorem illum æquum sit ad agendum constringi. Hieronymus Cagnolus; (in L. diffam. n. 9.) Licet Actor, seu loco Actoris videatur, quia provocavit ad Iudicium; tamen quia venit stimulatus propter diffamationem; sicq; necessitatus, ne in futurum inquietetur & molestetur, ve-

nit ut reus, pro reoq; respectu originalis fori habendus est, ut per Fe-
lin. in c. si quis contra colum. 1. de foro compet. & in d. c. sin autem
in si: praesertim quia naturalis origo causa magis attendi debet, quam
accidentalis l. qui habet in princip. ff. de tutel. Nil mirum ergo si re-
spectu fori causa tractanda est, ubi tractari deberet, si diffamatus ipse
fuisset conventus. Est igitur loco Actoris, qui ad Iudicium alium
provocat: quia tamen non venit sponte nec voluntarie, sed stimula-
tus propter diffamationem, & naturalis causa magis attendenda est,
quam accidentalis, iudicatur ut Reus respectu fori, ut causa tractetur
& agitetur, ubi omnino ventilari debuisset, si directo egisset diffa-
mans, cui imputatum est, quum huiusmodi iudicio causam dederit
propter diffamationem suam. argum. c. damnum de reg. jur. in 6.
Georgius Mundiis à Rodach; (in l. diffam. in proem. n. 35.) Ac-
cedit quarto, quod hanc legem nostram celebriorem facit, quod ad-
versarium & diffamatorem extraneum, ad tribunal & magistra-
tum nostrum per eam cogere, & nos hac ratione nimis sumtibus &
gravissimis via molestis & aliis periculis eximere, iisdemq; econtra
diffamatorem, si comparere velit, gravare possimus. Paulò post.
(Num 55. eodem.) Diffamatus adit Iudicem ut reus, non ut A-
ctor, quia diffamare nihil aliud est, quam ad iudicem tacite
provocare; ideoque diffamator eo ipso, quod diffamat, ad
Iudicem diffamati provocat, & proinde agere velle intelli-
gitur. Iohannes Ferrarius Montanus. (in proc. L. diffam. n. 12.)
Sed de eo, cui diffamator neque subest, neque paret, si & hunc ad
tribunal suum evocare possit, est quaesitum. Et magis est, ut ad e-
jus implorationem, qui suae Iurisdictionis est, extraneum quoque ci-
tare permittatur. Etenim qui alterius famam traducit, per hoc ad
iudicium provocare intelligitur, quasi non vereatur, etiam illud jure
persequi, quod dicit: id quod coram ejus Iudice fieri oportet, quem
diffamavit. Usque adeò & hoc casu Actor rei forum quodammo-
do sequi debet. Eandem sententiam late persequuntur &
confirmant Bartolus (in l. 5. ff. de dolo) Bartholomæus Capol-

Ia (conf. 72.) Butrigarius (in cap. cum inter. de except.) Salycetus
 (in L. criminali C. de jurisd. omn. Iud.) Ioann. de Immola (in l. 3. ff.
 de acquir. hered.) Angelus (ibid.) Abbas (in cap. si quis contra cler.
 Xra de for. comp.) Socinus (Consil. 94. vol. 3.) Parisiensis (Conf. 80. ad
 fin. lib. 4) Baldus (in l. unica C. ut Nemo invitus.) Felinus (in c. si
 quis contr. Cleric. verba de foro comp.) & alij fere ad unum o-
 mnes. Ut non credas, hæc tantum in Germaniâ iusta esse,
 sed ubiqve terrarum, & consequenter etiam Venetiis. Quam-
 vis verò dicas, etiam naturaliter iustum esse, neminem cogi
 debere aut posse ad accusandum alterum, quem nôrit scele-
 ribus esse infectum, neqve propterea diffamantem, si vitia a-
 licujus propalet, propterea statim teneri ea ad Iudicium de-
 ferre, atqve adeò, ut Iurisprudentes credunt, eo ipso tacitè ad
 Iudicium provocasse, & propterea Actorem, diffamatum au-
 tem reum esse; nihil tamen hoc argumento eviceris. Con-
 cesserim Iuris naturæ, seu, si mavis, Gentium esse, nemi-
 nem ad accusandum alterum esse obligatum, quamvis adhuc
 valdè sit controversum, rursus ab alterâ parte necesse est ut
 confitearis, neminem esse lædendum, quoad famam, etiam es-
 se juris Naturæ. Quapropter ut priori casu, illo jure non te-
 neris quidem ad accusandum; ita posteriori omninò obliga-
 tus es ad abstinendum ab injuriis. Et si velis retegere vitia
 tui proximi, necessitas tibi imponitur, ut illis audientibus fi-
 at, qui potestatem habent eum à sceleribus ejusmodi retra-
 hendi: hoc est, ut ad Iudicium deferas: aut si hoc prætermis-
 so nihilominus propalas, jam peccas, & censeris eo ipso ad
 Iudicium provocasse; debuisti certè. Imò jam ita habe-
 tur, ac si id reverâ à te esset factum. Elegantissimè hæc ex-
 plicat Joannes Oldendorpius; (in l. diffam. n. 12.) Sed dices;
 eritne secundum prædicta nimis durum: urgeri quempiam ad agen-
 dum, ni voluerit Ius suum amittere? Est enim justissima Iuris regu-
 la C. ut nemo invitus agere vel accusare cogatur. Respondeo. Non

cogitur ad agendum simpliciter: sed ut honestè vivat, & neminem lædat, hoc est, ut vel Iudicio utatur vel abstineat à diffamatione. Nemo autem invitus compellitur id persequi, quod ad se pertinet, neminemque lædit, imò quod non petitum, prodest alij. Id enim condonare proximo, præsertim egenti, laudandum charitatis officium est, quæ prædicta regula confirmat. Caterùm nec velle persequi jure, nec ab injuriis desistere: lex improbi censet hominis. Ideò quamvis neminem cogat ad agendum: omnes tamen vel invitos retrahit à delinquendo. Et hic est verus dictæ regule sensus. Imò plerique testantur de consuetudine & usu plerarumque Rerum publicarum, Galliarum, Italiarum & Germaniarum, diffamantes etiam Extraneos, non subditos, jurisdictioni Iudicantis non suppositos, tam ratione loci, quàm causæ, posse citari; imò Clericos ad Iudicem secularem; verba dictorum Prudentium recito. Quòd si hoc ita est, quid peccatum est ab Inclyto aulico Iudicio Serenissimi Electoris Brandeb. quòd vi & authoritate Juris illius, quòd Gentes observant, & utique Serenissimo Electori cum Venetis commune est, Tackenum Venetiis in augmentum Brandenburgense Iudicium, forum meum competens, citaverit? Quare Serenissima Respublica diffamanti non severe mandavit in dicto Iudicio comparere? Legibus sanè Imperialibus nihil imputari potest; cum jam jam ostenderim, hoc jus, quòd illa Lex continet, non tantùm Sanctionis Romanæ, sed Gentium & plerorumque populorum, certè cultorum esse; adeoque vi & authoritate ejus impudentissimum diffamantem fuisse extrudendum. Quicquid enim commercium & societatem seu communionem commutandi conservat, id omnè gentium Juris esse, omnes fatentur, qui quidem ejusdem habent peritiam: contra quicquid vel impedit vel tollit vincula, quibus diversæ gentes inter se devinctæ continentur, collatis quasi signis cum eodem pugnare nemo non videt. Ast tolli tandem commercium & socie-

tatem, si cuilibet liceat alterius Reipul. subditum injuriã afficere siue reali siue verbali, & quidem impunè, palàm est. Nam & læsi Cives populares & Magistratus aut injuriam illatam non inultam patientur, aut in aliis lædentis sociis seu civibus fortè innocentibus vindicabunt; quæ res si crebrò fiat, & in pluribus, annon societatem illarum gentium sufflamminabit, aut omninò tollet? Si enim haud tutò in utrâque gente utriusque Civibus versari licet, quis facilè eò se conferet? Imò quid facilius est, optimos etiam viros Reipublicæ cujusque; & sic etiam Venetæ, Senatores puta & Serenissimum Ducem ipsum, maximis onerare calumniis, aut gravissimis impetere injuriis realibus, si spes impunitatis sit proposita tantùm propterea, quòd illi Reipublicæ non sit subiectus? Quanta immanitas futura esset? quæ confusio? quæ turbæ? Absit in æternum. Justitia, quam veteres fundamentum & unicum vinculum, quo compages totius generis humani continetur, agnoverunt, vim suam exerat in sceleratis severè vindicandis, qui illud, quod dixi, vinculum ullo modo dissolvere aut laxare audent.

Quod denique caput rei est; sæpiùs dictum Inclytum Judicium Aulicum Electorale Brandenburg. alternativè à Serenissimâ Republicâ petierat, vel ut juberet Tackenum comparere; vel si hic modus minùs probaretur, ut mihi innocenti promptè patrociniùm præstaret, mihiq; satisfieri curaret. Verba Literarum sic habent; *Quòd si Serenitati Vestræ hic agendi modus usu & legibus receptus, minùs probabitur, cujus tamen contrarium planè nobis pollicemur, Eam tamen rogatam volumus, Patrociniùm innocenti huic, & tam indignè injurias passo Medico, ibi locorum præstet, inq; Adversarium tam conspicuum Severitatis exemplum statuatur, quò audaciã ipsius & calumniandi libidine repressã parti læsæ satisfieri possit.* Imò ne quicquam omittetur, quod ad causam hanc promovendam ullo modo facere

cere

ere posse videbatur, Nobilissimus Amplissimusque Senatus
Hamburgensis Intercessionales ad Serenissimam Rempubl.
Venetam iteravit, optionem relinquens Tackenio, si malit,
in Hamburgensi foro comparendi, cum & ibi conveniri
possim ratione domicilij, quod ibi collocatum habeo, quod-
que Civitate ibi donatus sim. Verba ita habent.

(Lit. Oo.) Copia alterarum intercessionalium Se-
natûs Hamburgensis ad Serenissimam Rem-
publ: Venetam.

*Serenissime atque Celsissime Princeps, nec non Illustrissimi,
Generosi, Magnifici atque Nobilissimi Domini, Domini, Cle-
mentissime ac omni observantiâ co-
lendi.*

IN memoriam sibi revocari clementissimè patiatur Serenissima Ve-
stra Celsitudo, ut & Illustriss: Generos: ac Nobilissima Dominatio-
nes Vestrae, quòd Mense Majo currentis anni ad Serenissimam
Vestram Celsitudinem & Illustriss: Generos: ac Nobilissimas Domi-
nationes Vestras pro viro Doctissimo & Experientissimo Dn. Hel-
vico Dieterico, Med. Doctore, quâ decet observantiâ Intercessio-
nales in eum finem dederimus, ut Otto Tackenius, qui adversus Im-
petrantem scriptum aliquod famosum, cujus titulus est; Apologia
contra Falsarium & Pseudochimicum Helvwig Diedericum; Venetiis
imprimi curavit, propter in vulgus sparsas typisq; commissas diffa-
mationes calumniasq; pro merito seriò puniretur, libriq; famosi, si quæ
ejus Exemplaria adhuc Venetiis apud Bibliopolas venum prosta-
rent, confiscarentur, mandatisq; pœnalibus eorum Venditio prohibere-
tur. Sed cum modò dictus Doctor Helvicus Dietericus nobis plu-
ribus hoc tempore significet, se necdum exauditum esse, responsûm ve
ad petita tulisse, interea injurias gravissimas sibi illatas animum su-
um valdè angere, difficillimumq; sibi esse justissimum dolorem tem-
pe-

pe-

perare, cum fama & vita pari passu ambulent, instantissime à nobis petit, ut Intercessionales nostras, ad Sereniss. Celsitud. Vestram, ut & Illustriss. Gen. ac Nobiliss. Dominationes Vestras iteraremus; quod cum illi Officij ratione denegare non potuerimus, nec verò ferendum iudicemus, ut dictus Dn. Helvicius Dietericus Med. Doctor, vir integra vita & fama, eruditionis singularis, tantæq; in arte Medicâ Experientia & felicitatis, ut ad curandos morbos periculosissimos à summis infimis æquè expetatur, ad istum modum veluti Falsarius & Circumforaneus publicè convitiis proscindatur, idq; Convitiator impunè ferat, prætereaq; dictus Helvicius Dietericus D. Serenissimi Electoris Brandenburgici Archiater, nostræ autem Civitatis Civis sit atque hic habitet, adeoq; vel in Iudicio Electorali Brandenburgensiaulico, vel in hoc nostro Hamburgensi respondere seq; sistere paratus sit: Serenissimam Celsitudinem Vestram, ut & Illustriss. Generos. & Nobilissimas Dominationes Vestras bisce intercedendo devotissime & amanter rogamus, velint, pro singulari suâ clementiâ atque erga Iustitiam amore, haut gravatum jubere, ut dicti libri famosi confiscentur, ulteriorq; eorum Venditio prohibeatur, simulq; Doctori Dieterico Citationem concedere, per quam Ottoni Tackenio mandetur & injungatur, ut certo aliquo & præfinito tempore vel in Iudicio Electorali Brandenburgensi, vel in hoc nostro Hamburgensi compareat, Veritatemq; convitiij doceat, vel saltem legitimis mediis compulsivis hominem adigere, ut Doctori Dieterico de convitiis sparsoq; in vulgus libello famoso Venetiis satisfaciat, atque ita fama viri honesti, docti & de multis mortalibus optimè meriti illaesa maneat. Quod sicuti de singulari Sereniss. Celsit. Vestra, ut & illustriss. Generos. & Nobilissimarum Dominationum Vestrarum clementiâ & benignitate concepta opinio sperare nos facit, ita Eas hisce nostris Intercessionalibus clementissime & amanter locum daturas omninò confidimus. Atque his Sereniss. Vestram Celsitudinem & Illustriss. Gen. & Nobilissimas Dominationes Vestras Divinae tutelæ etiam atque etiam commen-

da-

damus. Dabuntur sub signeto Civitatis nostrae XVI. Decemb. Anno
M DC LIII.

Serenissima Celsitudinis Vestrae, & ut Illustriss. Gene-
ros. & Nobilissimarum Dominatio-
num Vestrarum

Observantissimi

(L.S.)

Proconsules & Senatores Civi-
tatis Hamburgensis.

Ad Rempublicam Venetam, inscripto Titulo
ut supra.

Verum Serenissimo Electori, & Nobilissimi Hambur-
gensium Senatûs iteratis precibus locum à Serenissimâ
Republ. non esse relictum, neque me innocentem ex-
auditum, & injustissimum meum diffamatorem non esse de-
bitæ poenæ subjugatum, non equidem vel negligentia, vel
denegatæ Justitiæ, sed immensæ negotiorum moli, quibus hoc
præsertim tempore, ubi periculosum cum Turcarum Impe-
ratore bellum gerit, fermè non obruitur, lubentiùs accri-
psero; humillimè sperans, ut si Illustrissimus Senatus Serenissi-
mæ Reipublicæ hanc meam justissimam, verissimam & evi-
dentissimam Apologiam altero saltim oculo aspicere digna-
bitur, fore, ut tarditatem poenæ magnitudine & severitate sit
compensaturus.

Verum ne quicquam dubitationis relinquatur, omnes,
quas adducit circumstantias, falsissimas esse, luculentè osten-
dam. Quod enim in famoso libello addit; (p. II.) Testis de-
nique aurum illud, quod aquâ regiâ solutum & in vitrioli formam
concretum & coagulatum Excellentissimo Imperatoris Generali Arn-
heimio ex Suecico Carcere reduci, in cucurbitâ Sigillo tamen tuo (ut
Alcumista, fumi vendulus, eò meliùs & citiùs forte cognosceretur) mu-
ni-

mita, per H. E. tibi tum temporis inservientem ad spectandum & ridiculum opus tuum admirandum exhibuisti. Quot verba; tot falsa; Nam unquam Aurum potabile confeci? aut conficere in animo habui? Nunquam ejus confectionem me aggressum fuisse, supra & Collegij Medici Berolinensis & aliorum testimoniis probavi. Quod autem à me factum nunquam est, quomodo Arnheimio Duci, ad spectandum ridiculum opus meum admirandum, offerri potuit? Non Entis nullæ sunt affectiones. Hoc itaque primum est mendacium. Crystallos auri obtulit Henricus Engellandus Duci Arnheimio: Verū est; sed quomodo? An jactandi gratiā, ut iisdem peculiarem scientiam Philosophicam ostenderem? An sponte meā? Annon cum dictus Dux instanter peteret, ut exhiberem, subridens dixi, illas nihil artificiosi aut Philosophici continere? vide, hæc omnia coram Notario & Testibus deposuit Henricus Engellandus, Pharmacopæus hod. Noricus, vir fide dignus, cujus dicta, ut Instrumento publico Notarij Norinbergæ confecto comprehensa sunt, ascribere placet.

(Lit. Pp.) Copia Instrumenti Norinbergensis,

In nomine S. S. & individue Trinitatis. Amen.

Notum sit omnibus, quibus hoc Instrumentum legere aut videre datur, quorumq; hoc scire interest, quod anno post salvificam nostri Salvatoris Jesu Christi natiuitatem, millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, indictione sexta, imperante Serenissimo Potentissimo ac Inuictissimo Principe ac Domino, Domino Ferdinando III. hujus nominis, Electo Romanorum Imperatore, Semper Augusto, Germania, Hungaria, Bohemia &c. Rege, Archiduce Austria, Duce Burgundia &c. &c. &c. Domino nostro clementissimo, Anno Cesarea ac Regia Majestatis Regnorum, Romani XVII. Hungarici XXIX. Bohemici XXVI. die Veneris, XXVIII. Januarij stylo veteri, intra
ibo.

horam II. & III. horologij minoris, hic in S. R. I. Urbe Norinberga, honestus, doctus juxta ac artificiosissimus Dn. Henricus Engelland, p. t. Provisor Besseleriani Pharmacopolij, quod est ad D. Laurenti, me sub finem propria manu ascriptum, S. R. Casarea Majestati & Romano Imperio juramento & officij ratione obstrictum, Notarium Publicum & legalem, ad se, in Nobilibus, C. L. & Excellentiss. Dn. Ioh. Cunradi Rhu- melij, Med. Doctoris & Physici Ordinarij Reip. Norinbergensis, domum ad insigne crucis Sabaudia, infra Templum S. Sebaldi propè a- des publicæ libræ sitam, officij causâ vocavit, ibiq; in superiori hypo- causto, è cujus fenestris in publicam plateam prospectus patet, in pra- sentiâ ipsius duorumq; Testium, singulariter ad hoc requisitorum & infra subscriptorum, mihi Notario, in mei & Testium presentiâ à Dn. Henrico Engellando propria manu subscriptam, sigilloq; suo confirma- tam, ac postea ab ambobus Testibus in testimonium & fidem majo- rem propriis manibus subscriptam schedulam requisitionis, insertâ contradictione, retorsione ac reservatione, unâ cum consuetâ subar- rhatone auri & argenti, tradidit, meq; ratione Officij, quod gero, cu- jusq; indigeret, uti ex illis causis, quas in porrectâ schedulâ adduxit, apparet, decenter requisivit, petens, ut hanc schedulam in presentiâ duorum Dn. Testium legere, eâq; contentam extortam contradictio- nem, retorsionem ac reservationem, quæq; eò faciunt, diligenter non tantum annotare, sed etiam Instrumentum unum vel plura in for- mâ probanti super eâ re componere pro debito premio vellem, quò istis exigente necessitate uti posset. Scheda autem hæc mihi tra- dita & continuo à me perlecta, hujus erat argumenti, & quidem in- scriptio à tergo.

Schedula Requisitionis, insertâ Contradietione, Retorsione ac re- servatione, contra Dn. Ottonem Tackenum pro tempore Medicinæ Doctorem Venetiis, 28. Januarij Anno 1653.

In ipsis literis.

Spectatissime, Doctissime Dn. Notarie, Tibi duobusq; Dominis Testi- bus ego, cujus nomen infra perscriptum, ita exigente necessitate si- gni-

gnificandum duxi, quod, cum Anno M DC XLI. Dn. Otto Tackenius, in Pharmacopolio Regiomontano in Borussia, ego vero Nobili Ampliss. & Excellentissimo Dn. Helvico Dieterico Med. Doctore & Archiatro Electorali Brandenburgico, ambo scilicet famuli Pharmaceutici serviremus, eà occasione cum Tackenio amicitiam coluerim. Verum post discessum Tackenij contigit, ut inter Dn. Helvicum Dietericum & Tackenium, nunc quoque Medicina Doctorem, propter artem chymicam aliquod dissidium existeret, quod in tantum excrevit, ut Tackenius ad literas, quas ad se mutuo dederant, Apologiam, rectius famosum libellum, Anno M DC LII. Venetiis publice excudi, curaverit, cujus titulus ita habet; Apologia contra Falsarium & Pseudochimicum Helvwig Didericum; quemadmodum Dn. Notarius & Testes ex presenti Exemplari perspicere possunt. Cum vero & meum nomen, qui, uti dixi, in servitiis D. Dieterici sui, in dicto famoso libello citatum sit, ac si primo D. D. Dietericus mera ostentationis gratiâ artis suae Philosophicae cristallos auri spontaneo motu Dominio Generali ab Arnheim per me transmiserit; quod falsissimum est, eiq; quàm rectissime id fieri potest, contradico. Nam quantum memini, de cristallis in factis & rei veritate res ita habet: Serenissimo Principi ac Domino, Domino Georgio VVilhelmo, Electori Brandenburg. gloriosa memoria, isti auri Cristalli (quos D. Dietericus non studio & datâ operâ in usum auri potabilis aut aliorum operum Philosophicorum preparavit, sed ut inservirent potius confectioni auri fulminantis: nihilominus nec & hanc rem potuerunt juvare, uti oportebat; quia defectu veri olei Tartari per deliquium sese precipitari noluerunt, quoniam uti conjecturâ assequi licet, sal calcinatum fuit sulphure, & id potius solutionem exaltavit, pulcrioremq; coloribus reddidit, ita ut necesse fuerit dictam solutionem evaporare, ne jacturâ auri fieret, atque ita reddidit cristallos) eum in modum placuerunt, ut illos asservari clementer mandaret, quò aliis etiam ostendere posset, quod factum. Verum cum postea Generalis ab Arnheim ex Sueciâ Regiomontum venisset, & ob catarrhum curatione D. Dieterici

ute-

iteretur, in sermone iniecit, se istos auri Cristallos, quorum Serenissima
 Celsitudo meminisset, videre lubenter velle: cui D. Dietericus sub-
 pridens respondit, illas nihil artificiosè aut Philosophici, quod dignum
 observatu, habere. Sed cum instanter Excellentia Illius peteret, ut
 modo videre eos sibi liceret, annuit tandem D. Dietericus, perq̃ me
 vitrum cum cristallis illi transmisit. Quòd autem hoc jactandi gra-
 tià singularem quandam artem Philosophicam vel à D. Dieterico vel
 à me Illius nomine factum sit, id falsum est, magnaq̃ injuria Dn.
 Doctori inferatur, quod salvà conscientia hinc testari cogor. Secundo.
 In D. Tackenij Apologia seu potius famoso libello habetur, quòd D.
 Dietericus à D. Tackenio per me modum & scientiam petierit, tum
 quomodo cristalli ex pice Saturni relicta recuperandi, tum in operati-
 onibus vulgaribus, si quicquam obstaculi occurreret, occurrebat autem
 in singulis, (sunt D. Tackenij formalia) quod multis literis se ostensu-
 rum affirmat, cum tamen ego paulo post Regiomonto in Angliam
 discesserim, Tackenius verò diutius ibi remanserit. Cum itaq̃ & hoc
 crimen sit falsissimum, nec absque injuria & D. D. Dieterico & mihi
 à Tackenio inferatur, Ego hisce & omnibus, quæ in dicto libello famo-
 so me concernunt, aut posthac concernere possent, si fortè D. Tackenij
 in hoc negotio, quod nihil ad me attinet, me allegaret impostereum,
 tam modò quàm tunc, & tam tunc, quàm modò, donec probentur, co-
 ram vobis Notario & duobus Testibus, quàm rectissime & juri conve-
 nientissimo modo constanter & firmiter contradico, omnibus istis ca-
 lumniis & falsis criminibus me vigore hujus penitus subtrahens, eaq̃
 omnia ac singula in D. Tackenij, modo licito, saltem defendendi, non
 offendendi animo, de quo protestor retorquens, reservatis, omnibus Iuri-
 bus, mihi ad hæc, sicubi opus, necessariis, reliquis verò D. Dieterico pro
 fame ipsius defensione concessis. Quà de causâ Te Dn. Notarium debitâ
 cum subarrhatione, nomine officij, quod publicè sustines, instanter &
 decenter requiro & obtestor, ut presentem hanc meam Contradictio-
 nem, retorsionem & reservationem diligenter annotare, unum vel
 plura Instrumenta in formâ authenticâ accepto debito pretio in hanc

rem erigere, inq̄ meum usum, si fortè illis indigeam, optare velis. In
fidem predictorum majorem propria manu hæc subscripsi, meoq̄ Si-
gillo firmavi. Actum Norinbergæ die XXIX. Januar. Anno
M DC LIII.

(L.S.)

Henricus Engelland.

m. m.

Testes requisiti Johannes Conradus Rbümelius, Medicinarum
legitimè promotus Doctor, & Reip. Norinberg. Physicus ordinar. m. p.
Georgius Erasmus Ollingerus Pharmacopæus Senior. m. p.

Cùm itaq̄ Ego Notarius & duo prædicti Testes ex lectione inser-
tae Schedulae requisitionis, Dn. Requirentis Contradictionem suf-
ficienter cognoverimus, Egoq̄ Notarius, rebus ita se habentibus,
Dn. Requirentis postulato refragari non possum, sed potius ratione of-
ficij mihi impositi, morem ei gerere debeam, illius Contradictionem,
retorsionem & reservationem, earumq̄ nomine mihi exhibitam sche-
dulam, secundum omnia contenta, ut promisi, diligenter observavi,
atq̄ præsens hoc Instrumentum super illis erexi, quod factum est an-
no post Christum natum, Indictione Romanâ, Casareo Regimine, Men-
se, die, horâ & loco, prout supra indicatum fuit, in præsentia Nobilis
Excellentissimiq̄ Dn. Joh. Conradi Rbümelij Med. D. & Physici or-
dinarij, nec non spectatissimiq̄ viri Dn. Georgij Ollingeri, Pharmaco-
pœ Senioris Norinbergæ, ad hoc negotium peculiariter requisitorum
Testium fide dignissimorum, qui præsentia in negotio decenter à me ad-
moniti & requisiti fuere, quâ de causâ etiam illi in testimonium & fi-
dem majorem inserta Schedula propria manu unâ cum Dn. Requi-
rente subscripserunt. Quoniam itaq̄ Ego Ludovicus Vogelius, vi &
Autoritate S. Casareæ Majestatis Iuratus publicus Notarius Legalis,
Civis Norinbergensis, unâ cū præfatis duobus Dominis Testibus, prædictæ
requisitioni & lectioni inserta Schedula interfui, inq̄ eâ contentâ Con-
tradictionem, retorsionem & reservationem notavi & singula huc spe-
ctant.

ctant.

Etantia satis audiui & intellexi, allegatam quoque Apologiam seu potius famosum libellum in authentico oculis his meis vidi & legi, Ego certè omnia ac singula quàm fidelissimè auscultavi & consignavi, indeque hoc per fidelem meum amanuensem ad mundum redactū Instrumentum publicum composui, quod ipsum cum protocollo meo fideliter contuli, cumque utrobique congruum atque conveniens invenerim, propria hac meâ manu subsignavi & consueto meo Notariatus Sigillo communi. In fidem & ex officio ad hac peculiariter requisitus & rogatus

(L. S.
Notar.)

Idem Ludovicus Vogelius Cæsar. Majest. Sacriq. Rom. Imperij juratus publicus & Legalis Notarius, Civis Norinbergensis in fidem præmissorum subscripsi man. prop. (L.S. propr.)

LEge & perpende hæc verba: Quum verò & meum nomen, qui, uti dixi, in servitiis D. Dieterici fui, in dicto famoso libello (licet majusculis saltem literis H. E.) citatum sit, ac si primò D. Dietericus mere ostentationis gratiâ artis suæ Philosophicæ, crystallos auri spontaneo motu Domino Generali ab Arnheim per me transmiserit; quod falsissimū est, ei quàm rectissimè id fieri potest, contradico. Nam quantum memini, de Crystallis in factò & rei veritate ita se habet: Serenissimo Principi ac Dn. Dn. Georg. VVilhelmo, Electori Brandenburg. gloriosa memoria, isti auri Crystalli (quos D. Dietericus non studio & datâ operâ in usum auri potabilis, aut aliorum operum Philosophicorum preparavit, sed ut inservirent potius confectiōni auri fulminantis: (rectius: quòd ex solutione auri non præcipitati prodierint, quod facilè ex sequentibus colligitur) Nihilominus nec etiam hanc rem potuerunt juvare, uti oportebat, quia defectu veri olei Tartari, per Deliquium (facti) sese præcipitari noluerunt, quoniam uti conjecturâ assequi licet (non sal

sal

sal tartari, sed) Tartarus calcinatus fuit sulphure, & id potius soluti-
onem exaltavit, pulcriorem coloribus reddidit, ita, ut necesse fuerit di-
etam solutionem evaporare, ne jactura auri fieret, atque ita convertere
in cristallos) cum in modum placuerunt, ut illos asservare cle-
menter mandaret, quò aliis etiam ostendere posset, quod factum. (Si
Electo hoc ita voluit, cui refragari nec fas nec è re meâ
erat, cur ostensio hæc mihi imputatur, quasi non ostensio,
sed ostentatio, si Dis placet, fuerit?) Verùm cum postea Dn. Gene-
ralis ab Arnheim ex Sueciâ Regiomontum venisset, & ob catarrhum
(non simplicem sed Apoplecticum) curatione D. Dieterici ute-
retur, (hic Lectorem Candidum parùm respirare, secumqve
perpendere velim, an Generalis hic, qui in Electoris Saxoni-
ci, non Imperatoris Romani, in quo iterum hallucinatur Ta-
ckenius, militiâ celso præfuit officio, usus fuisset meâ ope-
râ Medicâ, si pro Ostentatore, imò subtili Fure, quod merè
Diabolicum Nugatoris mei fumivenduli figmentum esse,
omnes ultrò hîc agnoscent & mecum fatebuntur, me ha-
buisse?) in sermone iniecit, se istos auri Cristallos, quorum Serenis-
sima Celsitudo (ante me, imò antè, quàm mihi de Excellentif-
simi hujus Arnheimij præsentia aut morbo Regiomonti con-
stiterit, è quo iterum elucet mea innocentia sole clarior,) me-
minisset, videre lubenter velle: cui D. Dietericus subridens respon-
dit, Illos nihil artificiosi aut Philosophici, quod dignum observatu, ha-
bere. Sed cum instanter Excellentia Illius peteret, ut modò videre
eos sibi liceret, annuit tandem, perq³ me D. D. Dietericus vitrum
cum Cristallis illi transmisit. Quòd autem hoc jactandi gratiâ sin-
gularem quandam artem Philosophicam, uel à D. Dieterico vel à me
illius nomine factum sit, id falsum est, magnaq³ injuria Dn. Doctori
infertur, quod salvâ conscientia hîc testari cogor. Et Ego idem
constantissimè assero. Quid jam dicis Tackeni? Quòd
verò sub initium tui libelli famosi addis, te, cum aurum po-
tabile Duci Arnheimio præsentarem, Discursus & veritatis gratiâ

tuam sententiam adjecisse? in eo an impudentiam an stultitiam tuam magis admirari debeam, incertus sum. Primò dixi mendacium esse, me potabile aurum curasse offerri dicto Duci. Secundò; Te ne in sui conspectum quidem, nedum sermonis præsertim familiaris commercium, admisit. Hic scilicet mos esse solet, si Diis placet, Ducibus Bellicis supremis, famulos Pharmacopolarum (qualem te tum fuisse, neque ipse negare potes, & D.D. Timpleri & Henrici Engellandi testimonium satis convincit) admittere & cum iis, quasi illis aliud, quod agerent, non esset, familiariter sociare sermones. Nonne pudet te effrons insignium mendaciorum, quæ omnes, qui te intus & in cute norunt, vehementer rident. Famulorum scilicet ejusmodi officinarum est, tantis viris præsentibus, *discurrere & veritatem docere.* Major illorum gravitas, quam ut loquaculos & mendaces ejusmodi juvenes ad servitia abjectos garrientes ferre possint. Et hoc secundum mendacium est. Tertium est, Arnheimium ita de cristallis vel me quoque judicasse; (aurum enim potabile nec fuisse, nec fieri debuisse sæpius ad nauseam dictum est. Hæc enim ex calumniâ priori per se corrui. Nec virtus Arnheimij unquam permittebat, ut vel de me vel aliis viris bonis quicquam sinistrè ita suspicaretur, judicaret aut coram famulo pharmaceutico, qualis Tackenius erat, aut ullo alio eloqueretur. Ipsa prudentia tanto viro longè aliud dictitabat. Et quid mortuus hic inter vivos? Quartum est, me modum petiisse operandi in chymicis à Tackenio tum temporis famulo per Henricum Engellandum; Verba ejus hæc sunt: (p. 12.) *Nonne in operationibus etiam vulgaribus, si quicquam obstaculi occurrebat (occurrebat autem in singulis) mediante H. F. (id est: Henrico Engellando) modum à me petisti? quod in multis ad me datis literis fatetur & attestatur. Stolidum pecus, nonne sex mensium spatio anxie laborasti (testem te ipsum invoco) pro sale cristallino plumbi? At quia modum ignorabas, uti & adhuc ignoras,*

cristallorum loco, piceam invenisti materiam, & hoc in singulis coagulationibus: Nonne operandi modum cum aperui, confestim ex voto successit negotium? Quod Tu Henrici Engellandi testimonio probare conaris, apertissimis verbis ipse negat, & mera mendacia esse ait. Ejusdem verborum tenor & sensus hic est: Secundo in D. Tackeni Apologia seu potius famoso libello habetur, quod D. Dietericus à D. Tackenio per me modum & scientiam petierit, tum quomodo crystalli ex pice Saturni relicta recuperandi, tum in operationibus vulgaribus, si quicquam obstaculi occurreret, occurrebat autem in singulis (sunt D. Tackeni formalia) quod multis literis se ostensurum affirmat, cum tamen Ego paulò post Regiomonte in Angliam discesserim, Tackenius verò diutiùs ibi remanserit. Cum itaque & hoc crimen sit falsissimum, summâq; cum injuriâ D. Dieterico & mihi à D. Tackenio imponatur, Ego hisce & omnibus, quæ in dicto famoso libello me concernunt, ut & illis, si fortè D. Tackeni in hoc negotio, quod nihil ad me attinet, me allegaret, tam modò quàm tunc, & tam tunc quàm modò, donec probetur, coram Vobis Notario & duobus testibus, quàm rectissimè & jure convenientissimo modo constanter & firmiter contradico: Profer illas literas, si vir es, sed genuinas, non confictas & adulteratas; audis Engellandum in os tibi contradicentem? Responde, si placet & potes? Ita mendacium mendaciis cumulare libido tibi est. Adducis eqvidem, ô Tackeni, in famoso tuo libello testimonium hujus Engellandi, mei olim Laboratoris, cujus literis te confirmaturum polliceris, me magnam partem operationum Chymicarum à Te per ipsum petiisse. Adducis, inquam, non probas. Cognitis verò illis, rei indignitate motus, eo, quo merebatur, sermone Engellandum per literas castigavi, & falsitatem pariter & ingratitude exprobravi: quibus in sequentibus literis ita respondet.

(Lit.

(Lit. Qq.) Fragmentum ex literis H. Engellandi,
Noribergâ ad me missis.

Nobilis & Excellentissime vir, Domine &
Patr. pl. colende.

Ex literis Dn. Patr. indignationem adversum me non sine singulari perturbatione animi perspexi, & satis mirari non possum, præcipuè cum Dn. Patr. nunquam non, ut spero, animum gratum in me tam in literis meis, quàm coràm, satis cognoverit. Et summa esset ingratitude, si tale quid à me fuisset factum. Tackenius etiam pro Calumniatore & mendaci, tam diu habebò, donec mihi tale quid probaverit. Nemini mortalium proximè Deum immortalem eos, quos quidem in Chymia feci progressus, acceptos ferre possum nisi Domino Patrueli, à quo eam hausi peritiam, quæ mihi, Deo sit gratia, sufficere potest; quo nomine etiam denuò Domino Patrueli maximas ago gratias. Si Tackenius scribit, me plura ab ipso, quàm Dn. Patruelè didicisse aut cognovisse, fædè mentitur. Si juramento res affirmanda sit, nihil aliud novi, quod apud ipsum viderim, nisi cristallos Tartari. Neque est, quòd verè quidem gloriari de ullâ re possit, cum tum temporis ejusdem mecum fuerit conditionis & statûs nec non peritiæ. Spero etiam Dn. Patruelem tam malè de me nec esse suspicaturum, nec vano ejusmodi Spermologo fidem habiturum &c. S. & V. Noribergæ a. d. 4. Decembr. 1652.

(Lit. Rr.) Ex Ejusdem literis Noribergâ missis de die XXV. Decembr. eod. anno.

Tackenij mendacissimum scriptum satis hic refelli; quia Cristalli Solis non tanquam præcipuum quoddam arcanum fuere præparati, sed Bezoartico solari adhibiti. Quod Sacharum Saturni atinet, recordor quidem, massam quandam conflata in vitreâ aliquâ patellâ fuisse, quæ etiam ante meum adventum in Laboratorio extitit; Dominum verò Patruelem dictam massam in cristallos transformare voluisse planè non memini; multò minùs verò, me nomine

ipsius à Tackenio modum transmutandi, quem ille tum temporis & què, ac ego, ignorabat, petiisse; neque etiam mendacissimus homo hoc verè unquam affirmare poterit. Concesserim forte, me meo nomine ipsum de uno & altero compellasse; in Collectaneis tamen meis ne minimum quidem, quod ab ipso accepissem, reperire potui, nisi cristallos Tartari, si illis eximium artificium inesse credit. Fortè Dn. Patr. mihi propterea indignatur, quòd Tackenium in Laboratorium admiserim; quod quidem non me à sponte, sed Dn. Patruelis pace & venià feci. Et si rectè meminit Dn. Patr. ipsum non semel, sed sæpius mensa sua & ad cœnam & prandium adhibuit. Quæ de cristallis auri aut saccharo Saturni in famoso suo libello adducit, sunt nullius momenti. Prudentes enim & harum rerum intelligentes facile perspicient, quàm ineptè & frigide Tackenius judicet de rebus impræparatis, quas ille in prædicto famoso libello perstringit, & tum temporis fortè in Laboratorio vidit, ut omnes Asini solent, quibus nihil impræparatum ostendi debet. & c. V. Hæc ad me Henricus Engellandus; è quibus facile quivis perspiciet, quid albi quid atrii inter nos sit? Nec puto de fore, qui vel per transennam aut oculis saltim semiclausis hîc visuri & agnituri sint, quo mendaci colore abutatur ineptissimus Pictoris hujus penicillus in delineandâ aut deturpandâ meæ famæ figurâ. Unum adhuc rideo: me sex mensium spacio anxie laborasse pro sale cristallino plumbi, at quia modum ignoraverim, cristallorum loco picem invenisse materiam; ut verò operandi modum aperuerit meus Præceptor, confestim ex voto successisse negotium. Risisse hæc & reliqua omnia ad unco habuisse naso, refutasse est. Interim scias Tackeni, mihi adhuc superesse picem illam Prussicam, ab expulsionione Spiritûs Saturni ardentis relictam. Quem ergò tu operandi modum hîc aperuisti, ut ex capite hoc mortuo, de quo ego certè nunquam fui sollicitus, regrederetur novum sal plumbi cristallinum, velut pullus aliquis ex ovo putri? & quomodo confestim, Te scilicet manu ductore, ex

vota

oro successit, aut succedere potuit, negotium, quod nec dormi-
enti, in somnio, nec vigilantibus, mihi unquam præ manibus fu-
it? Heu quàm Te mendacem hîc & ubique oportebat esse
memorem! Et quæ cogitare potui de pice prædictâ in for-
mam cristallorum reducendâ, cùm talibus non indiguerim
amplius? Dixi n. jam antè, me cristallos sachari Saturni, quo-
rum copia mihi suppetebat, studio & operâ transformasse
in picem tibi sic dictam. Venio jam ad tertium crimen,
quod mihi impingit, nempe vagabundæ oberrationis. Sci-
licet Tackenij libidini calumniandi nondum satis erat, me
Falsarium, me Furem vocitasse; sed ut magis exosus κα-
κέρησις τῶν ἰατρῶν redderet, id mihi objicit, à quo omnes
veri Medici quàm maximè abhorrent. Nempe me hinc
inde vagari in aulis; & quando unam decepissim, jam me
conferre ad alteram; & quidem sine ullâ vocatione; quod
propriè Agyrтарum & circumforaneorum est. Verba e-
jus recitabo: (p. 14.) ὁ Αγρτάρου & medicastroorum omnium astu-
ρισσimum, qui marsupij proprij sanitati avidissimis suis inventioni-
bis diu noctuq; studet, ut immortalitatem ejus invenire valeat. Por-
ro; (p. 15) nonne te stultum & insulsam caput judicabit quilibet,
quod ambitione adeò excæcatus te tanti mundi monarchæ ordina-
rium spargere audeas? interim hinc inde circumforanei instar cir-
cumvageris? Iterum; (p. 16.) non miror, cur Didericus Serenissimi
Electoris sui lateri non semper adhæreat, circumforaneus enim est,
& contra illorum regulas & præcepta peccaret, si in uno semper perma-
neret loco. Tandem. Scire te oportet nullum perfectum Medi-
cum esse (de Circumforaneis & tuæ farinae consodalibus non loquor)
qui non Pharmaceuticus sit. Et paulò post; Pharmacopolia (ita
hîc, & paulò antè Pharmacopolias) tum annuatim visitantur, quis
visitat? tu aut tui similes Ciniflones & circumforanei? Tanto si
Dis placet, encomio & hîc & ubique me extollit Tackenius.

Verùm ut & hoc crimen sine ullâ commotione depellam, cogor omnes illas vocationes, quibus ad diversas Aulas sum evocatus, apponere, ut Lector benevolus oculis cernat, imò manibus palpet, insignem mihi factam esse injuriam. Verùm dum id facio, Candide Lector, amicissimè Te rogatum volo, ne editionem Literarum vocatoriarum ex ambitione, à quâ certè alienissimus sum, sed summè necessariâ honestæ meæ famæ Defensione profectam putes. Ipse quæso apud animum tuum propone & cogita, si Tu tantis calumniis & mendaciis onerareris, quid facturus esses? & si fortè iisdem (uti certò scio) usus esses remediis, mihi spero, eò faciliùs ignosces. Primùm verò Calumniatori meo ambabus largior manibus; me multorum Principum aulas adiisse, & ex unâ ad alteram me contulisse; sed non nisi vocatum, & quidem legitimè & instantissimè, imò jussum à Principe illo, cui tum quidem pro tempore juramento eram obstrictus. Nihil addam de meo, ne verbulum quidem; producam è multis saltim aliquas Magnatum Literas, quas ad se invicem de meâ dimissione & ad me ipsum dederunt; ut Lector putidissima Tackenij mendacia eò clariùs pervidere queat.

Absoluto curriculo studiorũ Academicorũ (de quo postea) perlustravi quoq; officinas Pharmacopæorum, potissimùm verò Ulmensem Ruberianam, in quâ de consilio D. D. Greg. Horstij, Præceptoris quondam, Affinis & Patroni mei observandi, dimidium & quod excurrit posui annum, & ipse manum medicamentis conficiendis sæpiùs admovi, adeò ut verba, scommata potiùs, Tackeniana à vero remotissima sint, quæ habentur in Apologiâ; (p. 19.) Scilicet *me quòd Pharmaca tractare nolim, quod Medici sit, Medicum non esse;* & paulò antè; (p. 18.) *scire me oportere, nullum perfectum Medicum esse, qui non Pharmaceuticus sit.* Interim eum, qui tantùm perlustravit

vit officinas, & præter Empiricam illam conficiendi medicamenta cognitionem non simul didicit methodicam artem medendi, nomen & dignitatem Medicî non tueri, aut munus ejusdem explere posse, nemo unquam saniorum dubitavit. Multò minùs amplitudinem hujus nominis sibi usurpare poterit, qui tantùm unam aliquam medicamento- rum speciem, puta sal viperinum aut aliud quòdpiam singulare (universali interim illi decantatissimæ & per tot secula tam anxie quæsità Medicinæ nec nominis nec laudis quicquam detractum hîc velim) conficere novit: quamvis sesqui- pedalibus & ampullatis verbis non tantùm in cœlum Em- pyrœum usque, sed tanquam Panacæam omnis generis mor- bis opponere non vereatur Artifex tantus. Sed una hiru- do, mi Bone, hîc non facit ver. Absoluto inquam Aca- demico meo cursu, & peractis iis, quæ hominem virtutis & doctrinæ cupidum meritò decebant, cùm denique apud No- bilem & Excellentissimum Dn. D. Joh. Kùefferum insignem Argentinensium Practicum, Præceptorem Patronum & Ho- spitem olim meum incomparabilem, ea Praxeos Medicæ e- didissem specimina, ut ad curandos morbos & per conse- quens publicum aliquod officium me dignum judicaret, Se- renissimus Hassiæ Landgravius, Georgius, Dominus meus clementissimus, me Archiatrium suum esse voluit, & Argen- tinâ Darmstadium evocari jussit Anno M DC XXIIIX. ut literæ Serenissimæ Ejus Celsitudinis sequentes testantur.

(Lit. Ss.) Exemplar Literarum Vocatoriæ Se-
renissimi Landgravij Hassiæ
GEORGII.

Nos, Dei gratiâ, Georgius, Landgravius Hassiæ &c. publicè o-
mnibus notum facimus, quòd Doctissimum virum Helvicum
Dietericum, Medicinæ Doctorem, corporis & Aula nostræ Me-
dicum

dicum constituerimus & receperimus: Ordinamus etiam & constituimus ipsum vigore harum literarum, hac ratione, ut modo dictus quidem Doctor Helvicus tanquam ordinarius corporis & Aulae nostrae Medicus, Nobis, & post obitum nostrum, qui in Dei manu est, nostro primogenito Filio, aut deficiente Nobis prole mascula, illi, qui secundum jus Primogeniturae & pactorum successoriorum, quae inter piissima memoriae Parentem nostrum Landgravium Ludovicum & paternae suae clementiae binos Dominos Fratres intercesserunt, & à diversis Romm. Imperatoribus & Regibus confirmata sunt, successurus est, subjectus, obediens & fidelis esse, nostrum damnum semper avertere, & consilio, operâ & diligentia sua, quemadmodum providi, diligentem & fidelem corporis & Aulae Medicum decet, Nobis inservire teneatur: & ut paucis rem complectamur, in sua functione ita se gerere, eaq; prestare, ad quae cautus, diligens & fidelis Medicus de jure & consuetudine est obligatus. Pro hac ejus operâ & ministerio Nos volumus & debemus ipsi singulis annis, quamdiu in hac functione perseveraverit, salarii loco N. N. Florenos & N. N. frumenti modios persolvere. Omnia ex fide & citra dolum. In pleniorrem fidem has literas nostrâ subscriptione & impressione Sigilli nostri roboravimus. Darmstady XXV. Martij Anno M DC XXVIII.

(L.S.)

Georgius Landgravius
Hassiae.

Ubi Serenissimus Princeps meam operam & diligentiam perspexit, eodem anno Salarium meum clementissime auxit, ut sequentes literae loquuntur.

(Lit. It.) **N**os Ordinarij Corporis & Aulae nostrae Medici & fidelis dilecti D. Helvici Dieterici salario, ipsi à Nobis antea constituto N. Florenos clementer addidimus, quos ipsi à praeteriti anni M DC XXVIII. praeterlapso Festo Michaelis singulis annis, quamdiu ministerium ejus duraverit, per
Ca-

*Camera nostra Scribam numerari curabimus. Darmstadij d. XXIII.
Mart. M DC XXIX.*

*Georgius Landgravius
Hassiae m. s.*

Quoniam de illâ diligentia, quam ante dixi, sequenti tempore non tantum nihil remisi, sed etiam, quantum in me fuit, auxi, Serenissimus Princeps alterâ vice salario meo accessionem addidit, ut ex ejus sequenti mandato apparet.

(Lit. Vv.) **P**ostquam Nostri Corporis Medico & fideli dilecto D. Helvico Dieterico propter diligentem & fidelem Nobis navatam operam clementer permisimus, ut augmento illo Salarij, quod alteri nostro Medico D. Spina concessimus, nempe N. Florenos N. modios farris N. hordei N. vini, similiter frui possit, Camera nostra Scribis & Cella Praefectis clementer mandamus, ut dictum augmentum D. Dieterico quotannis initio facto ex hoc die, quo has dedimus, persolvant & admetiantur, & debito modo in rationes nostras referant. In fidem nostrâ manu & impressione nostri Sigilli presentes roboravimus. Darmstadij ipsis Kalendis Januar. Anno M DC XXXI.

*Georgius Landgravius
Hassiae m. s.*

Dum ita fideliter optimo Heroi inservio, en nihil tale unquam cogitans à Serenissimâ Principe Annâ Hassiae Landgraviâ, Comite Solmensi &c. Viduâ, & Illustrissimo Comite Henrico Volrado, Comite in Stolberg, Königstein &c. Serenissimo Domino Landgravio, Georgio, Domino meo clementissimo ita permittente, ad Extraordinariam Archiatri functionem vocor, ut sequentia testantur.

Y

(Lit.

(Lit. Xx.) Exemplum Literarum Vocatōriarum
Laubacensium & Ortelsburgensium.

Nos Anna, Landgravina Hassia, Comes Solmensis, vidua &c. &
Nos Henricus Volradus, Comes in Stolberg, Königstein &c. no-
tum facimus, quòd doctissimum virum Helvicum Dietericum,
Med. Doctorem, Archiatrum Hasso-Darmstadinum, etiam nostrorum
corporum Medicum extraordinarium s. de domo (uti loquimur)
elegerimus & constituerimus, ita & hâc ratione, ut Nobis suo consi-
lio & medicamentis, quàm optimè sciverit & potuerit, & quemad-
modum nos clementer confidimus, inservire velit & debeat. Econ-
trâ pro hâc obligatione Nos dicto nostro Medico de domo singulis an-
nis, quamdiu ejus ministerium duraverit N. N. Francofurti solvi &
numerari curabimus, refusus necessariis sumtibus itineris & medica-
mentorum aliorumq; materialium pretiis persolutis. In fidem præ-
sentibus his literis nostris manibus subscripsimus & Sigillo nostro re-
boratas ipsi tradi fecimus. Actum Laubaci die Luna post Domi-
nic. Quasimodogeniti qui erat V. Aprilis Anno M DC XXX.

(L. S.) Anna Comes Sol-
mensis vidua.

(L. S.) Henricus Volradus
Comes Stolbergæ & Königstein.

Horum exempla sequuti Illustrissimi Comites Erpa-
censes Ludovicus, & Georgius Albertus, Fratres Germani,
eâdem ratione permissu verò Principis Landgr. Georgij &c.
me Ipsarum Generositatum medicum esse voluerunt. Ille
quidem anno M DC XXXII. hic vero XXXIV. Literarum
initia, ne integras apponere cogar, hæc sunt.

(Lit. Yy.) **N**os Ludovicus, Comes Erpacensis, Dominus in Breu-
berg, Eqves, notum facimus, quòd doctissimum vi-
rum Helvicum Dietericum Med. D. Archiatrum
Hasso-Darmstadinum, etiam corporis nostri Medicum constituerimus
&c.

Et c. In fidem manu nostrâ subscripsimus & nostro Sigillo roborari fecimus. Actum Erpaci XXX. Septembr. Anno M DC XXXII.

(L.S.)

Ludovicus Comes Erpacensis m. s.

Georgij Alberti hæ sunt.

(Lit. Zz.) **N**os Georgius Albertus Comes Erpacensis & Dominus in Breuberg, fatemur his literis, quod virum Doctissimum Helvicum Dietericum Medicine Doctorem, Principalem Hassiaco-Darmstadiensem Archiatrum, etiam nostri corporis Medicum clementer constituerimus & c. In fidem nostrâ manu subscripsimus & Sigillo nostro communiri fecimus. Actum Furstenavij die VII. Junij Anno M DC XXXIV.

(L.S.)

Georgius Albertus Comes Erpacensis. M. S.

Anno M DC XXXIII. cum Electores & Principes Imperij Protestantes funestissimi belli, quo Germania exercebatur, pertæsi, Dresdam ad Pirnenses tractatus convenissent, Serenissimus meus Herus, Landgravius Hassiæ, Georgius, me cõ secum duxit, ubi pluribus Magnatibus, interq̃ve Eos Serenissimis Electoribus, Saxonico & Brandenburgensi, innotui; Ille, quoniam Socer erat clementissimi Heri mei, cognito, quod Brandenburgensis me ad sui ministerium sollicitaret, quum me à Domo Darmstadinâ avelli nolobat, accessionem Salario satis magnam pollicetur; verum Serenissimi Electoris Brandenburgensis Oblationes præponderant, sive Deus sive fatum meum ita volebat. Quocirca quum consilium, quod ipsi dederam, non displiceret, anno sequente Mense Junio Literis ad Serenissimum Hassiæ Landgravium Georgium, Herum meum clementissimum datis amicissimè petit,

tat, ut me ad curationem, quam instituturus erat, ad tempus saltem dimitteret. Literas quidem illas non possideo; sed idem Consiliarij Serenissimæ Celsitudinis Ejus Francofurti ad me scripserunt, quorum literas jam integras subjicere placet.

(Lit. Aaa.) Literæ Consiliariorum Brandenburgensium ad me datæ.

S. & officia. Clarissime Domine Doctor, Fautor & Amice pl. dilecte. Tibi ignotum esse non potest, quâ ratione Serenissimus Elector Brandenburgensis, Dominus noster clementissimus, Celsissimum Principem & Dominum, Dominum Georgium Landgravium Hassiæ non ita nuper missis literis amicissimè rogaverit, ut Illustrissima Ejus Celsitudo tibi clementissimè veniam concedere velit, quò ad tempus ab aulâ Ipsius abesse, Cura, quam Serenissimus Noster in Aulâ Electorali instituet, simul adesse, eiq; consilio & operâ tuâ præesse liceat. Quum verò Illustrissima Celsitudo Landgravij precibus Serenissimi nostri locum reliquerit & abitioni tuæ annuerit; & verò Serenissimus Noster singulari tui adventûs desiderio teneatur; Nobis etiam mandavit, tibi media ad iter necessaria suppeditare; Te amicissimè rogamus, ut primo quovis tempore ad Nos proficisci ne graveris, quò non tantum Serenissimæ Celsitudinis Ejus statum tibi exponere, sed etiam certum quid de itinere & ad id necessariis mediis constituere possimus. Quoniam enim facile intelligimus, Illustrissimam Celsitudinem Landgravij te diu carere nolle, ideò maturato opus est & nos omnia quàm citissime promovebimus, ad officia porrò tibi præstanda paratissimi. Dabamus Francofurti ad Mœnum die XIX. Julij Anno M. DC. XXXIV.

*Serenissimæ Celsitudinis Electoris Brandenburg. p. t.
ibidem præsentis Legati*

(L. S.) Sigismundus à Gōßen m. p. (L. S.) Ioach. Fridericus Blumenthal m. p.

(L. S.) Gerhard Romilian à Calkhun dictus Leuchtmar m. p. (L. S.) Andreas Koch D. m. p.

Hac

Hâc dimissione temporali impetratâ, Berolinum profectus & curam divino Numine invocato aggressus sum; cui Deus ter Opt. Max. pro immensâ suâ gratiâ & misericordiâ eum largitus est successum, ut ad optatum perducta fuerit exitum. Quùm hic eventus Serenissimo Electori placeret, me carere noluit, sed per Legatum quendam, propter alia negotia Dresdam missum, ubi tum clementissimus Herus meus pro tempore morabatur, meam dimissionem ad Ipsius Celsitudinis ministeria instanter flagitavit; quam tamen tum temporis impetrare non potuit; ubi verò denuò Serenissimi Domini Landgravii Celsitudo per literas fuit sollicitata, agrè tandem dimissus sum & non nisi ad tempus, quod postea Serenissimus Elector pro lubitu suo protraxit. Interim Serenissima Electoralis Celsitudo me ordinarium ipsius Corporis Medicum clementissimè constituit, quasi de sequuturâ omnimodâ Dimissione Hassiacâ, quæ non nisi serò impetrabatur, non amplius dubitandum foret. Literas illas vocatorias, præter omnem spem & expectationem clementissimè mihi oblatas, quas, Deo sic providente omninò rejicere nec debui nec potui, subjungere hic placet. Sunt verò tales.

(Lit. Bbb.) Literæ Vocatoriæ Electorales
Brandeburgenses.

Nos Dei gratiâ, Georgius VVilhelmus, Marchio Brandeb. S. R. Imperij ArchiCamerarius & Elector &c. Notum facimus & fatemur, quòd Doctissimum virum dilectum nostrum & fidelem Helvicum Dietericum Medicina Doctorem corporis nostri Medicum elegerimus & constituerimus, hâc ratione, ut Nobis subiectus, obediens & fidelis esse & nostris rebus omnibus optime consulere debeat; Inprimis verò astrictus & obligatus sit, ut sive hic in Aulâ nostrâ, sive in præfecturis nostris aut alibi etiam in itineribus commorati fuerimus, tam nocte quàm interdiu nobis præstò esse debeat, &

sine veniâ expressè à Nobis impetratâ in alia loca discedere ipsi non liceat. Quando consilio & medicamentis ejus Nobis opus fuerit, ea nobis secundum eam, quæ in ipsum cadere potest, scientiam & experientiam suppeditabit &c. &c. Pro hac operâ igi quotannis, quandiu in nostro ministerio perstiterit N. N. Solidos seu unciales persolvi curabimus &c. &c. In fidem his literis manu nostrâ subscripsimus, easq; Electorali nostro Sigillo munivimus. Actum Colonia cis Spream ipso Festo Bartholomæi Anno M DC XXXIV.

(L.S.)

Georgius V Wilhelmus.

Biennio antè & quod excurrit Serenissimum Marchionem Brandenburgensem, Sigismundum à catarrho apoplectico nec non dolore Hypochondriaco-nephritico gravissimo, Dei gratiâ, Svalbaci liberaveram; qui partim ob hanc Ipsius, partim etiam Serenissimi Electoris Brandeb. Georg. Guilielmi, cognati Celsitudinis Ejus dilectissimi prosperum curæ eventum, me quoque porrò sibi inservire, & propterea sui corporis Medicum constituere volebat. Literæ ejus vocatoriæ hæ sunt.

(Lit. (cc.)) Literæ Vocatoriæ Serenissimi Marchionis Brandeb. Sigismundi.

Nos Dei gratiâ Sigismundus, Marchio Brandenburgensis &c. Notum facimus & fatemur, quòd, postquam in nostro Corpore, dum variis morborum generibus fuimus vexati, singularem Experientiam, curam & sollicitudinem, quam Honestissimus & Doctissimus vir, Helvicus Dietericus, Medicinæ Doctör, nobis probavit, & nos felicissimè curavit, atque id summo Deo clementissimè annuente, porrò quoque prestare potest, satis superq; perspeximus & cognovimus, his causis moti ipsum Corporis nostri Medicum elegerimus & constituerimus, hæc ratione, quòd nobis subjectus, obediens & fidelis esse debeat, præcipuè verò, si quod nostræ valetudinis malum deprehenderit, ex quo diuturnus morbus aut repentina mors

ori-

oriri possit, quâ poterit consilij dexteritate utilissimis medicamentis, secundum summam ejus & scientiam & experientiam adhibitis, prevenire & avertere, & si permissu Dei, in gravem aliquem morbum inciderimus, & ipsius fortè præsentia opus habuerimus, ad nostram evocationem aut se ipsum sistere, aut, si per alias suas functiones ipse venire planè non possit, scriptis suis literis consilium fidelissimum unâ cum medicamentis à se suâ manu preparatis communicare, & planè nihil omittere, quod ad recuperandam nostram valetudinem facere possit, prout fidelem Medicum decet, quod & ille Nobis datâ manu addixit. Pro hac ejus operâ & ministerio, quotannis ipsi, quandiu in eis perseveraverit N. N. Joachimicos persolvi curabimus &c. In horum fidem literas has manu nostrâ, appresso quoque nostro Sigillo, subsignavimus. Actum Colonia ad Suevum die Martini Anno M DC XXXIV.

(L.S.)

Sigismundus Marchio
Brandeb. m. p.

Jam tertium annum in functione Electoralis Archiatri non sine singulari gratiâ Serenissimi Electoris exegeram, dum anno 1637. Potentissimus Rex Daniæ Christianus IV. per Legatum suum Dn. Christophorum à Lippe, Cancellarium, (quem Regia Majestas ad Imperatorem, plerosque Electores & Principes Germaniæ mittebat, quem ipsum quoque Custrinensi in Propugnaculo NeoMarchiæ, continuâ febre malignâ graviter decumbentem, exiguo dierum intervallo, pristinae valetudini, antequam ad Audientiam, quam vocant, admitteretur, Deo singulariter benedicente, restitueram) à Serenissimo Electore Brandeb. Georgio V Vilhelmo, piensissimæ memoriæ, mei dimissionem instanter petebat, ut ad tempus saltem ad curandum Serenissimum Principem Daniæ Electum, Christianum V. me in Aulam Danicam conferrem; quod iter Serenissimus Elector, Potentissimi Regis

gis

gis precibus annuens, mihi imperavit. Discessi itaque mense Septembri Anno M DC XXXVII. Custrino, venique statotempore Nicopiam Falstriae, quae est Regia Arx, ubi tum temporis Serenissimus Electus Princeps degebat & graviter satis aegrotabat, ibique curationi intentus usque in Iulium Mensem sequentis anni M DC XXXIIX. substiti. Sed interea à Serenissimo Electore Brandeb. Georgio V Vilhelmo revocatus ob morbum Serenissimi unici Filij, Friderici V Vilhelmi, periculosissimum, è quo tamen certo temporis spatio per Dei gratiam feliciter me praesente eluctatus est, non potui non Serenissimo meo Hero morem gerere, adeoque Aulam, quam jussu Ipsius ad tempus reliqueram, repetere. Quocirca in Marchiam redij, & paullo post cum Serenissimo Electore ejusque Filio, concomitante tota Aulâ Electorali, in Borussia veni, ubi tandem secundum immutabilem Dei Voluntatem Serenissimus Elector animam suam Deo reddidit. Morte Serenissimi Electoris cognita, non multo post & Potentissimus Daniae Rex Christianus IV. & Serenissimus Princeps Electus Christianus V. me in Daniam evocant; quò tamen concedere volebam, nisi prius expressum consensum à Celsissimo Hassiae Landgravio Georgio, Hero meo antiquo clementissimo, accepissem, cui ita volenti, antequam in Marchiam Brandenburgicam me conferebam, humillimè promiseram, me ad officia ejus, si ipsi ita videretur, redituro esse. Quocirca Serenissimus Princeps Daniae Electus Christianus V. ut & Serenissima Ejus conjux ad Illustrissimum Hassiae Landgravium ejusque Celsissimam conjugem scribunt & concessionem impetrant, in quam eandem eò lubentius etiam consensit Serenissimus Elector Saxoniae Johannes Georgius, Dominus meus clementissimus, ubi videret, servitia hæc & Genero & Filiae praestari debere. Recitabo in hanc rem literas.

(Lit.

(Lit. Ddd.) Exemplar literarum Serenissimi Principis Daniæ Electi Christiani V. ad Sereniss. Hassiæ Landgravium Georgium de vocatione meâ in Daniam.

Celsissime Princeps, Cognate, Affinis, & Compater dilectissime. Vestra Dilectio me tacente in memoriam sibi revocabit, quâ ratione paucis retrò annis Serenissimi Electoris Brandenburgensis Dilectioni, piissimæ memoriæ, Helvicum Dietericum, Medicinæ Doctorem, tum temporis Ipsius, jam verò nostrum Medicum, clementer permiserit & concesserit, qui vivente adhuc Serenissimi Electoris Brandenb. Dilectione, Nobis amicissimè petentibus, aliquoties ad nostrum ministerium est dimissus, quiq; divinâ adjutus gratiâ curatione suâ Nos adeò sublevavit, ut Deo ter Opt. Max. maximas gratias debeamus, & inde post obitum Sereniss. Electoris Dilectionis Ipsum in nostrum ministerium recipere magnopere sumus commoti. Quùm verò ad Nos perlatum sit, acsi vestra Dilectio dictum D. Helvicum Dietericum denuò in ordinarium & perpetuum ministerium recipere in animo haberet, & Nos verò propter malè affectum nostrum Crus, in quo curando præ reliquis omnibus Medicis cumulatisimè Nobis satisfecit, & propter alia etiam symptomata & emergentes casus ipso carere non possimus, Vestram Dilectionem amicissimè rogamus, ut dicto D. Helvico Dieterico permittat in nostro ministerio diutius commorari. Nos è contrâ facile concedemus, ut dictus hic noster Medicus subinde quoque se sistat, si Dilectioni vestræ placuerit ejus uti operâ &c. Glucksburgi ex Arce Reg. die XXII. Jun. M. DC. XLIII.

Ad Celsiss. Principem Georgium Hassiæ Landgravium. Darmstadt.

Vestra Dilectionis amicissimus &c.

(L. S.)

Christianus.

Z,

(Lit.

(Lit. Eee.) Serenissimæ Conjugis Ejus literæ, ad Serenissimam Sororem Sophiam Eleonoram Landgraviam Hassiæ datæ, hæ sunt.

Serenissima Princeps, Dilectissima Domina Soror.

Non potui, quin aliquid literarum ad Dilectionem Vestram darem, postquam à D. Dieterico intellexi, vestram Dilectionem Nobili ab Oinhausen mandasse, ut ipsi scriberet, Vestrae Dilectionis Dominum Maritum eundem ad servitia sua revocare velle. Dominus enim Maritus meus mihi mandavit, ut vestram Dilectionem ipsius nomine amicissime salutarem, & certiorẽ redderem, defuncto Electore Brandenburgensi, Georgio Vilbelmo, præmissaq; nostrã, quin & Regiã & Holsaticã vocatione, D. Dietericum se à modo Regente Electore expedire & nostro adjungere ministerio, præcipue cum Dominus Maritus meus jam ex cruce gravissime laboret. Quoniam verò Dominus meus Maritus ex manu & Sigillo Dilectionis Vestrae Domini Mariti perspexit, Eum libenti tandem animo modò dictum Doctorem Dietericum ad Electorem dimisisse, sperat, Dilectionis vestrae Dominum Maritum id etiam esse concessurum, & quoniam afflictum Crus nemini alij Medicorum committi potest, ipsi Doctori propterea non fore inclementem. Dilectissima mea Soror mihi ignoscet. Deum testor, Dominum Maritum meum ipso careere non posse. Ceteros morbos omnes reliqui Doctores curare possunt, huncce verò nimis periculosum promiscue omnibus committere non est tutum. Dominus meus Maritus hæc eadem de causã scripsit. Glücksburgi die XXI. Junij M DC XLIII.

Dilectionis Vestrae

Soror

Magdalena Sybilla.

(L.S.)

(Inscriptio) A Madame, Madame Sophie Eleonore Landgrave d' Hesse, ma trescher Soeur soit donnée la presente à Darmstad.

Ita

Ita passus sum me constitui Medicum primum Extraordi-
 narium Christiani IV. & ipsius Serenissimi Filij Principis
 Electi Christiani V. ut ipsorum Literæ testantur, quas su-
 præ sub literis *Y. & Aa.* recitavi integras. Principis verò
 literæ vocatorie anticiparunt Regias, ut ibi ex subsignatio-
 nibus & scripturis videre est.

Anne deinde M DC XLIV. vocatus fui à Potentissimo
 Danorum Rege ad ordinariam Archiatri functionem, ut ex
 literis superius sub *Literâ Z.* integrè ascriptis cognosces.
 Paulo antè dicto Anno M DC XLI. à Serenissimo Holfatiæ
 Duce Regente Friderico, Domino meo clementissimo, eti-
 am de domo, ut loquuntur, constitutus eram, uti ex Sere-
 niss. Ejus Celsitudinis literis supra itidem *Lit. Bb.* recensi-
 tis palàm est. Primus verò omnium dictus Serenissimus
 Holfatiæ Dux, post obitum Electoris Georgij V Vilhelmi, de
 meâ Dimissione ad Serenissimum Successorem Fridericum
 V Vilhelmum, Dominum meum clementissimum, scripsit, cu-
 jus literæ etiamnum in Electorali Cancellariâ Secretiori si-
 ne dubio asservantur. His ubi accedebant Danicæ, impe-
 trabatur denique Serenissimi Electoris consensus in abitum
 meum, cujus Exemplar supra sub *Literis Cc.* tibi videre
 concessum est. Ita quidem multorum Magnatum Aulas ad-
 ivi, & hodie etiam, quantum per vires corporis licet, per vi-
 ces adeo, sed non nisi vocatus, neque etiam nisi cum veniâ
 Heri mei, cui quidem obstructus fui, imò jussu ipsius & man-
 dato, ut præter alia mea documenta, ex Serenissimorum in-
 primis Hassiæ Landgraviorum & Nobilissimi Senatûs Ham-
 burgensis Testimoniis & Literis evidentissimis ad oculum
 monstrare possum.

Ita Serenissima Landgravij Hassiæ Georgij Celsitu-
 do; post verba illa: (vide infra suo loco)

Circa annum 1628 D. Helvicus Dietericus à Nobis ex Alsatià in Aulam nostram vocatus fuit; Insuper; Nobiscum reputamus ac perpendimus, quàm laudabiliter, quantùm nobis satis superq; cognitâ atque perspectâ industriâ, diligentia, dexteritate, virtute, integritate, candore ac fidelitate, officio suo per octo annos functus fuerit, neque quicquam commiserit &c. paulò post; itemque quòd ipsum non ultrò, vel ex aliâ, quàm ipsi honorificâ causâ dimiserimus, imò quòd ipsum dimissuri non fuissimus, nisi Serenissimus &c. Elector Brandenburg. &c. apud Nos precibus ac flagitationibus tantoperè institisset, ut tandem iisdem victi, agrè tamen, in prædicti D. Helvici Dieterici Archiatri & semper fidelis ac industriæ reperti Ministri nostri abitum ad Aulam Electoralem Brandenb. consenserimus, & quòd porrò abundè constet, imò omnibus ferè notorium sit, ipsum Regibus, Electoribus, Principibus ac aliis Magnatibus singularia sua (quibus in arte & praxi Medicâ pollet ac præfulget) dona, industriam, assiduitatem, integritatem, experientiam ac curandi morbos etiam periculosissimos felicitatem probasse &c. Ita nempe Dn. Landgravius, Georgius; à quo non longè abit Dominus Landgravius V Vilhelmus, in cuius Celsitudinis Testimonio innocentia paulò post hæc invenies verba:

Prout & antè suam fidem, experientiam & eruditionem insignem Illustrissimis Principibus, honoratissimis Parentibus Nostris ipsum approbasse & à Regibus multisq; Germania Principibus ac Civitatibus, honestis vocationibus subinde ornatum, frequenter ab iis accersitam, in pretio habitum, eorumq; munificentiam, honoraria ac stipendia extraordinaria retulisse sæpius & in hunc usque diem non sine singulari laude & famâ mereri scimus, &c. Magnis his Principibus suffragatur Senatus Hamburgensis in intercessionibus primis (Lit. Ll.) ad Sereniss. Rempubl. Venetam missis. Verum equidem est, Eum sæpius abesse domo, sed cum viri celebritas in Arte Medicâ tanta sit, ut Eum summis infimis æquè charum reddat, & Serenissimus Elector Brandenburgicus, Illustrissimus Dux Holsatiæ, aliq; circumjacentes Principes, & Magnates sæpius do-

mo, cum cordis nostrorum Civium, avocent, & presentiam ejus, opem & consilium in gravioribus morbis requirant, tantum abest, ut hujusmodi absentia & evocationes viri famam possint minuere, ut etiam maximopere augeant illustrioremq. reddant. Quapropter cum Dominus Helveticus Dieterich Med. Doctor sit Civis noster, vir integræ vitæ, & famâ viris Principibus & Concivibus suis imprimis propter singularem in Arte Medicâ scientiam & curandi morbos felicitatem juxta charus &c. Nec non in eundem sensum iisdem ferè verbis in Intercessionalibus ad Rempubl. Venetam reiteratis: (Lit. Oo.) Nec verò ferendum judicemus, ut dictus Dn. Helveticus Dietericus Med. Doctor, vir integræ vitæ & famæ, eruditionis singularis, tantæq. in Arte Medicâ Experientiæ & felicitatis, ut ad curandos morbos periculosissimos à summis infimis æquè expetatur &c.

Jam Sole meridiano clariùs patent mendacia Tackemiana, dum me circumforaneorum & Agyrtarum gregi annumerare non dubitavit. Ejusdem farinae sunt, quæ de ignorantia, ruditate & Pseudochymia nec non empiricâ mendendi ratione, imò homicidiis à me commissis, chartis suis illevit. Grave est homini prudenti de seipso scribere aut ea prodere, quæ in sui laudem vergunt; Verùm quùm hæc necessariò sint expromenda, candidus Lector, spero, veniam mihi dabit. Ne tamen quicquam vel addam vel detraham, malo aliorum, quàm meis verbis exponere, si prius brevissimis vitam meam Academicam enarravero. A primis, quod ajunt, unguiculis, dilectissimi mei parentes, nihil prius, nihil antiquius duxerunt, quàm me optimis literis & artibus imbuerent; quocirca & domi suæ ipse Parens, cum non vulgaris esset eruditionis, me diligenter informavit, & in Scholis, Butzbacensi imprimis, erudiri curavit; donec dignum me judicaverit ad capiendam altiorem doctrinam, qualis in publicis Gymnasiis proponi solet, adeoque hanc ob causam me

in Giffense Pædagogium anno M DC XIII. mense Majo ab-
 legavit; in quo præcuntibus diligentissimis Præceptoribus,
 M. Cunrado Dieterico, Patruo meo, Pædagogiarchâ: M. Ia-
 cobo Miccio, insigni Græco; M. Conrado Matthiâ, M. Henri-
 co Medico, & M. Josiâ Macrandro, *Συνέργοις* tantum pro-
 feci, ut judicio Inspectorum anno M DC XV. Mense Septem-
 bri ad Lectiones Academicas Philosophicas fuerim admissus,
 Præceptorib⁹ potissimum meis, Clarissimis Philosophis Scheib-
 lero & Steubero, utroque *ἄντι τῶν ἀγίων*. Horum accu-
 ratâ & diligenti informatione eam rerum Philosophicarum
 notitiam mihi paravi, ut de consilio & autoritate Scheible-
 ri, nec non sub ejusdem moderamine & præsidio, publico
 me committere & dissertationem de Disciplinis Theoreti-
 cis (quæ etiam in *compendio Metaphysico Scheibleri* extat) contra
 commilitonum Objectiones, (quibus tum quoque intererat
 Philippus Ludovicus Fabricius, jam U. J. D. & Cancellarius
 Hasso-Darmstadinus, quem honoris gratiâ publicè hîc no-
 mino) in publicâ studiosorum coronâ M DC XVIII. d. XIV. Ja-
 nuar. defendere ausus sim. Cùm verò res non adeò malè
 cecidisse Præceptoribus meis videbatur, anno sequenti M DC
 XIX. d. IV. Decembr. non tantùm denuò me stiterunt in cam-
 po Philosophico, in quo sub Joh. Steuberi clypeo doctri-
 nam de Pluralitate Eormarum, suâ difficultate non caren-
 tem, publicè propugnavi; sed in ipsa quoque Theologorum
 castra produxerunt. Institutum tum erat Exercitium dispu-
 tandi Græcum, in quo Controversantibus nullo alio quàm
 Græco idiomate uti licebat; quùm verò ego linguæ illius
 non essem imperitus, me quoque adhibuerunt, mihi quæ Dis-
 putationem de *loco ac Statu Animarum Beatarum* in veteri
 Testamento *post mortem*, & cultu Sanctorum, sub Præsidio
 Steuberi, (qui simul Theologus erat) Anno M DC XIX. d. XXXI.
 Decembr. Græcè defensam, attribuerunt, præsertim quùm
 tum

tum

tum temporis mihi de voluntate Parentis mei animum ad Theologiæ Studia omninò adungere proposuissem. Anno M DC XX. pro gradu Magisterij consequendo, quem tum tanquam præmium Laborum Philosophicorum ambiebam, miscellaneas quæstiones ex variis Sapientiæ humanæ disciplinis depromptas, de Creatione inpr. & Mixtione differentes, publico examini, iterum moderatore Scheiblero, die XXIX. Maj. subjeci; cujus cum tuli fructum, ut Brabeutâ modò dicto Philosopho celeberrimo, inter XXI. viros doctissimos tertium locum admodùm honorificum nactus fuerim. Ne Lectorem fortè hîc fallere aut alto suspendere naso videar, addam, in gratiam mei quoque adversarij, sequentia carmina gratulatoria, à Professoribus Gifensibus, viris Clarissimis, in Magisterij mei honorem fusa, typisque antehac Gise excusa, quorum titulus & series ita habent. *Plausus Phœbi & Mercurij, Præstantissimo Eruditissimoq; Iuveni-viro, Dn. Helvico Dieterico Kyrttorffensi Hasslo; cum Gisa Tubingam, uberiorum gratiâ studiorum, commigraret, postquam, virtute & industriâ sic merente, Daphnen Philosophicam inter XXI. Competitores Tertio in almâ Academia Ludovicianâ, die XXII. Junij Anni M DC XX. ei imposuerat vir Clarissimus & Excellentiss. M. Christophorus Scheiblerus, Log. ac Metaphys. Professor & Pædagogiarchi. Factus voventibus & congratulantibus Dnn. Professoribus, Fautoribus, Amicis, Gise excudebat Petrus Lucius, M DC XX.*

I.

Ingenium, Dite vice, tibi est, visq; indolis alta
 Et studium, & probitas multipotensq; labor.
 Hinc est, quòd Doctrina tibi successerit, & te
 Nomine maluerit condecorare suo.
 Inde tuos etiam presseruntserta capillos;
 Serta Magisterij laude parata bonis

Vidimus hos Titulos tibi digno munere poni,
 Et proclamari nomen honore tuum.
 Hecserta, hos titulos, hoc nomen, & illud honoris
 Gratulor his denis nunc tibi versiculis.

Samuel Stephani M. D.
 & Professor ac p. t. Rector
 Academ. Giess.

II.

CLARA tuo capiti Giffena Academia nuper,
 Helvice, imposuit, plaudente Σοφῶν grege sertum,
 Teq; Magisterij titulo insignivit honoro.
 Nunc gestis Terras diverso sole calentes
 Visere, præclarosq; viros cognoscere, & urbes.
 Propositum laudo: sed normam adjungo fidelem.
 Nosce viros: & nosce urbes: & noscito mores:
 Cuncta sed ad verbi divini expende tenorem.
 Nil placeat, nisi quod Christo placet: omnia oportet,
 Quantumvis præclara putes, postponere Christo.
 Christus ut in cunctis sit primus & optimus unus.
 Hoc Duce, & hoc rectore tibi pulchrè omnia cedent,
 Atq; Patri & Patruo similis, nobisq; redibis
 Charior, in patriamq; tuam ex te commoda dulcem
 Multa redundabunt. Voto, Deus, annue nostro.

Clarissimo viro Dn. M. Iohanni Dieterich
 & c. S. P.

Seu falsa clavis esse dicaris malè,
 Sive ex Deo dives voceris haud malè;
 Hoc opto: Filius tuus simillimus
 Evadat ut tibi Parenti, & Patruo.

Gissæ XIV. Iul: Anno

Quærerere qvæsVrsVM DeCet, & terrena negare.
 Balthasar Mentzerus D.

III.

M. HELVICO DIETERICO
suo ex Fratere Nepoti.

Sic Patrias insiste vias artesq; paternas
Venare & Patriæ laudis amore tume.
Heres qui Patrij cognominis esse laboras,
Non in te pereat quod decus ingenitum est.
Te video ingenuas caput elatum ire per artes,
Uraniam studiis atq; favere tuis.
Gratulor hoc studium: Paucos alit Hassia tales,
Qui studium in cæli motibus esse sinunt.
Gratulor & nomen tibi quæle Academia donat,
ô Generis nostri tertia fama vale!
Non tamen ô Helvice tibi hic non terminus esto,
Ulteriùs nomen tendere perge tuum.
Est laus in primis consistere lausq; secundis;
Prima tibi cæsit meta, secunda tibi.
Tertia nunc restat duro superanda labore;
Hanc etiam supera, sic mihi victor eris.

Gratulabundus adiecit Giffæ

XV. Julij

Cunradus Dietericus, S.S. Theo-
log. D. Ecclesiæ Ulmensis & vi-
cinarum Superintendens.

IV.

Vt procul ad naphtham salit ignis & ignea flamma:
Sic valor ingenij, ceu clara favilla, capacis
Tendit ad excelsas, ductu virtutis, honores,
In te, dante Deo, vegeti reperitur acumen

Ingenij, nec torpet iners, sed floret, ad altos
 Per callem firma aspirans virtutis honores.
 Hinc tibi contribuit nutrix Academia nostra
 Iura Magisterij, titulosq; decusq; perenne,
 Qua precor, ut multos tibi commoditatis a ceruos
 Apportent, profintq; tuis, tibi Sanguine junctis.
 Hisce vale felix: Domini tibi clara lucerna
 Sit verbum in rebus sacris, non mentis acumen,
 Ut pote, peccati maculis plenumq; tenebris,
 Quas abigit Dominus divini lampade verbi.

Iustus Feurbornius S. Theol.
 D. Profess. & Ecclesiastes.



Quod ipsamet virtus sibi sit premium,
 Est sermo pervetustus & verissimus,
 Et experitur hoc die Experientia.
 Hinc est, quod indefessa diligentia
 Scrutatur omne, quicquid est vel abditum
 Vel editum Natura in arcanissimis
 Usquam latebris: arbitrari mens cupit,
 Quod vel creatum, quod vel haud creatum erit,
 Existat, haud existat, id curat minus.
 Labore gaudet arduo vis ingeni
 Studetq; semper additis quid addere,
 Nec in salo soloq; sudare effugit,
 Nec aëris quodcumq; nostro lumini
 Patere visum est: ipsa adusq; sidera
 Viresq; eorum se penetrat mens sagax.
 Et indoles scrutatur omne, quod patet,
 Quod non patet, quod non patere quiverit.

Sed

Sed omnis hac scrutatio, omnis hic labor
 Inanis est & vanus est & futilis,
 Si non in usum certum & in finem bonum
 Vertatur illa quantatunqve industria est.

Qua, DIETERICE, quae so te, scientia est
 Qua clauditur tantum suâ scientiâ
 In bracteatis occupata nanys.
 Nullius usui ullius nec commodo?
 In disputando & differendo cernimus
 Horas perire plurimas, sed cui bono?
 Non curiosa inutilisq; industria est
 Noctes diesq; disputando absumere,
 Qua causa summi sit Boni, quod censeas
 Subjectum in hac & alterâ virtutum?
 Sic transit aetas disputando: exerceas
 Exerceas, quid disputare proderit tantummodo?
 Horas perire plurimas pecuniaeq;
 Ingentem acervum cernimus, dum quilibet
 Vel has vel illas ventilare ineptias
 Sibi expetiscit. Interim senescimus
 Nullamq; virtutem improbi cognovimus:
 Adsuescere his oportet à pueritiâ,
 Qua flexilis partesq; in omnes ductilis
 Facile sequetur, nec tamen culpamus hic
 Nulloq; vituperamus hunc morem bonum
 In disputando & differendo quem boni
 Exercuere, sed tamen suo modo.
 Tu disputasti, Dieterice, & vivo
 Virtutis ardore excitus verum decus
 Et gloriam petisti, & hanc secutus es
 Cum laude, non ut vulgi in ore & circulis
 Frequens fores & inclytus, sed ut tibi

Quod cœlicâ donum locatum est dexterâ,
 In publicum evulgare quædam possies
 Præesse multis, plurimisq; commodo
 Et usui esse. Factitabis sedulo hoc,
 Si te tuam indolemq; rectè noverim.
 Sic in peregrinis tibi paraveris
 Bonos Patronos, qui tui curam gerant,
 Qui te patronâ vinciant sibi manu.
 Quod oro fiat; promereris optimè
 Industriâ insitâ & scientiâ haud rudi
 Boni favorem numinis, sit numen hoc,
 Qui diligit scientiam & sapientiam
 Et qui potest juvenum juvare industriam,
 Vir quilibet, Bonitas cui nomen suum
 Impertijt, dabit Deus tales tibi,
 Dubitare noli, qui te ad alta provehant.

Scripsi Giessa die XV. Quintilis
 Anno D DC XX.

Conradus Bachmannus Prof.
 Poes. P.

VI.

Quid ergò Dieterice,
 A me cupis Magister
 Bene doctè. Num corollam
 Vis auream hanc, venustum
 Et Pileum hunc, coruscam
 Et Gemmulam hanc, politum
 Et Annulum hunc? Habeto
 Honoris hujus arrham,

Quod te renunciavi
 In Artium Magistrum.
 Habe auream corollam
 Et pileum venustum,
 Et Gemmulam coruscam,
 Et Annulum politum
 Habeto. Namque virtus
 Præstans, Scientiæq;

Omnes

*Omnes tibi reclusæ,
Et vena disputandi,*

*Natale Sidus: omne
Hoc, quicquid est, merentur.*

*In ipso Promotionis actu accine-
bat imq̄,*

*M. Christophorus Scheiblerus Log.
& Metaph. Professor & Peda-
gogiarcha.*

VII.]

Apposuerat hic CL. V. Dn. M. Martinus Helvi-
cus Lingg. Græc. & Hebr. Professor, celeberrimi illius Phi-
lologi, Chronologi, Historici & Theologi D. D. Christophori
Helvici Frater Germ. elegantissimum Carmen Hebraicum,
quod verò certis de causis, unà cum aliis quibusdam Græcis
ac Latinis votis, omittendum putavi.

VIII.

Postulat internam forma accessoria formam,
Ut justè possit munus obire suum.

*Forma Magisterij Sophiâ informetur ab ipsâ,
Extera ut internam consonam habere queat.*

*Ergò tiara nihil, nisi & ars comitetur & usus,
Internæ Externis consona ritè sient.*

*Quod quoque tu sentis Musarum sedule cultor,
Ergò tiara tibi, ars artis & usus adest.*

*Floreat iste labor, longum vigescat in ævum
Ad Iovæ laudem, sic mea vota vovent.*

*Et mea vota vovent, ut spartam sedulus ornes,
Et bene cedat honos tum tibi tumq̄, tuis.*

*M. Ioh. Henricus Tonsor
Phys. Prof. Pub.*

Ergo nos diriment nunc tot Dieterice locorum
 Intervalla, animis quos propè junxit amor?
 Nec tot amicorum te tristia corda morantur,
 Facunda ut properes ad sacra castra Decæ.
 Ô quantus studiorum ille est, qui te abripit, ardor,
 Eximat ut vulgi, non sine laude, grege.
 I pede felici, quò te vocat incluta virtus,
 Macte animo, nec te pallida tardet hyems.
 Fama tui eterno sic se mandabit honori,
 Te magnum & patriis reddet lœva focis.
 Non tamen ulla dies, non ulla sit hora diei,
 Qua nolit memorem te fidei esse meæ.

M. Caspar Ebelius Gisâ-Hessus.

Plura hîc addere non lubet, cùm hæc scopo nostro
 sufficere omninò videantur. Adjecissem etiam Testimoni-
 um Magistrale, à Facultate Philosophicâ Gisenfi consigna-
 tum & subscriptum, unâ cum DDD. Casp. Hofmanni, Da-
 nielis Sennerti & Joh. Kuëfteri Senioris, aliorumq̃ve Excel-
 lentissimorum & per universam Germaniam celebratissi-
 morum Medicorum Literis testimonialibus, quas mecum
 servo, nisi opusculum hoc cùm ingratiâ & tædio fortè Le-
 ctoris simul audum iri veritus fuisset. Præfati Anni M
 DC XX. Mense Augusto unâ cum Patruo meo D. Cunra-
 do Dieterico Ulmam me conruli, ibiq̃ve aperto Collegio,
 ita volente meo Patruo, aliquot adolescentes Hebraicæ lin-
 guæ notitiâ imbui, quos inter tum temporis erat Petrus Ha-
 berkorn, hodie D. Theologiæ, Pastor, Superintendens & Pro-
 fessor Theolog. Gisenfis, qui antehac literas aliquod Hebrai-
 cas ad me dedit, nuper verò Latinas, in quibus denuò de illâ
 informatione agit gratias. Ipsas literas recitare placet:

Lit.

(Lit. Fff.) Exemplum Literarum D. D. Petri
Haberkörnij.

Præclarissime, Amplissime & Experientissime Vir, Medice
celebratissime, Amice & Fautor, ut à juvenilibus annis
probatissime, ita certè dilectissime.

Audio Claritatem tuam à quopiam virulentà linguà, & convi-
tiis atrocibus laceffitam & obrutam fuisse; & quidem talibus,
quibus ille fame celeberrima, quam tua Claritas hætenus in orbe
Christiano summà cum laude merito obtinuit, detractum eamq̃ im-
minutum iuit. Sicut autem obtreccionem ejusmodi etiam Sapientes
interdum nonnihil commovere solent, ita tacitè conjecturà consequi
possum, Amplissimam Claritatem T. fortè etiam ab omni animi com-
matione haud esse immunem. Calumnia enim cor etiam sapien-
tis frangit, flagelli instar, Syr. 28, v. 21. Job. 5, v. 21. Non potui ergò in-
termittere, quin veteri illà amicitia, quæ mihi cum Claritate T. inter-
cedit à longo annorum decursu, ut etiam beneficà illa humanitate,
quæ ut in aliis scientiis, ita in Hebraicà linguà fundamenta solide &
fideliter mihi monstravit, impulsus, hæc ad Eam literas perscribe-
rem & adhortarer, ut criminationibus ejusmodi, animi sui vigorem
haud labefactari patiatur, sed contra illas se obfirmatiorem præbeat;
Convitia enim, quibus innocentium fama lædi videtur, tandem spon-
te suà concidunt & dispereunt, ut Proborum fama inde exurgat illu-
strior & celebrior. Quemadmodum enim qui candelam digitis
emungit, illius quidem lumen clarius efficit, suos autem digitos adu-
rit & contaminat. Ita qui iusto detrahit, aut laudabilia facta convi-
tiis proscindit, suam conscientiam lædit & reatu peccati contaminat,
innocenti autem materiam majoris laudis præbet. Deus noster Mo-
sen nunquam majori coronavit laude, quàm eum Aaronis & Ma-
riæ lividum eum murmur infestaret. Cum David à Simei maledi-
co ore impeteretur, proxima erat benedictio & liberatio, quæ in tri-
bulatione suà sublevatus fuit. Cum Iobum Amici jaculis suis inces-
se

ferent, auxilium Domini in limine constitutum erat. Josephus cum contumeliis lacefferetur, proximus erat throno, ad quem subveheretur. Obtrectatores autem se ipsos ignominiam afficiunt, & promeritam tandem luunt poenam. De quo evolvantur integri Psalmi Davidis, nimirum LII. LXIV. & alij. Nitatur ergo Experientissima T. Claritas bonitate causa, Conscientia incolumitate, & Dei simul potentiam, atq; alto ejusmodi convitia despiciat animo, & patienter simul injurias sibi immerito illatas fortiterq; ferat. Multo illustrior est apud omnes cordatos Ejus in Medicina doctrina pariter & experientia, quam ut Momi alicujus nebulam obfuscariqueat. Præterea candor, fides & innocentia vite multo mihi est perspectior etiam à juvenili ætate, quam ut putem, illam ullo modo obnubilari posse. Mendacia non diu fallunt, tandem luci cedunt tenebrae: merito ait Cyprianus. Et ferre eum, qui contumeliam afficit, Dei est; contumeliam autem afficere immeritum, Diaboli est, dixit olim Chrysostomus. Cum innocentibus nocentes injuriam faciunt, illi injuriam patiuntur, qui facere se credunt, verba sunt antea allegati Cypriani. Et injuria injuste irrogata, ejus est infamia, qui fecit, dicitur in Iure Canonico c. 27. q. 4. Inter cætera: omnis injuria sive re sive verbis illata, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petram constantissimæ duritiæ libratum & obtusum, concidet enim ibidem irita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæviet, recte suo tempore rerum usu edoctus Tertullianus docuit. Hæc ergo & alia memori mente Claritas T. nunquam non teneat, illisq; adversus calumnias sese munit, atq; monente Spiritu Sancto, bene faciendo & recte vivendo ora calumniantium obturare pergat. Valeat ita Claritas T. ceu Reipub. literariæ decus fulgentissimum diutissime & felicissime in Medicina laudem uberiolem, propriumq; commodum, mihiq; porro queso faveat. Dab. Gissa d. XXI. Septembr. M. DC. LIII.

Experientiæ & Claritati T. quoad
vixero addictissimus

Petrus Haberkorn D. Past. Superintend., & Prof. Theol. Publ. ibid. m. p.

(Inscriptio.)

*Praclarissimo Amplissimo & Experientissimo viro D. Helvico
Dieterico, Medico Excellentissimo, & in Germaniâ celebratissimo
&c. Domino, Amico & Fautori suo, ut probatissimo, ita maxime di-
lecto & honorando.*

Hamburgum.

Eiusdem anni M DC XX, mense Octobri Tubingam veni,
Clarissimo Lansio commendatus, ibique per biennium
ferè studium Medicum cum Theologico conjunxi; à
quo tamen infelix ista controversia, D. D. Balth. Mentzero,
Theologo de communi re Christianorum præcipuè Prote-
stantium meritissimo, à Tubingensibus de omnipræsentiâ
Christi in Statu exinanitionis mota, me planè deterruit, to-
tumque studio Medico mancipavit. Post Altorffum Nori-
corum concessi, ibidemque ductu Excellentissimi Hofman-
ni Medicinæ studium graviter urgere perrexi, & sub modò
laudati insignis Philosophi & Medici præsidio de *Cerebro, spi-
nali medullâ & nervis, nec non de usu & motu cerebri* M DC XXII.
Mens. April. publicè disputavi, fortè non sine (absit jactantia
dicto) applausu & Dn. Dn. Professorum & Commilitonum.
Quâ quidem Responsione eam mihi conciliavi eruditionis
opinionem, ut, quandoquidem commodum prima à Nobil-
issimo Senatu Norico instituebatur solennis Doctorum
promotio, mihi etiam honor ille fuerit delatus; quia tamen
oblationem ejus magis ex singulari CL. Hofmanni affectu,
quàm virtute & eruditione meâ profectam judicabam, mo-
destè recusavi. Quo tempore etiam mutuam operam tra-
didimus, Clariss. Dn. Sventerus, Professor, ego verò studio-
sus: me enim modum artificialis memoriæ & linguam Ara-
bicam edocebat, contrà verò quæ Theodoro V Vagnero,
Samuele Heilando (cui volenti, didactici loco, S. Linguae ru-

dimenta, quæ quidem tum anxie expectebat; monstravi, uti
 ea à Præceptoribus meis D. Christoph. Helvico, Julio Otto-
 me & aliis perceperam: utroque Mœstlino, celeberrimis Ma-
 thematicis, hauseram singularia in Mathesi, præsertim in Di-
 rectionibus, quibus tum juvenis admodum delectabar, ut ipsi
 aperirem, benignè volebat. Cæterum plurima ibi secui a-
 nimantia cum viva, tum suffocata; & in cane vivo non uno
 dissecto, idem inò præcipuum ferè inveni experimentum,
 ex quo non multò post doctissimus Harvéus totam Medico-
 rum Scholam, motum & circulationem sanguinis docuit,
 ut Medici etiamnum superstites testabuntur. Ego tum Ju-
 venis Phædræ Terentiani instar omnibus lætitiis incessi, sta-
 timque novum mihi visum inventum ad Præceptorem me-
 um Dn. Hofmannum detuli, certò mihi persuadens, vix ali-
 um sanguinis motum nisi circularem esse posse, à quo tamen
 ejus consuetum *Per* responsi loco tuli cum hoc dictorio; *visne
 fieri Circulator?* Quin & conditionem privatam Altorfi simul
 inactus sum, qua Informatorem studiorum egi apud tres Hal-
 leros, Fratres Germanos natu majores, Præfecti quondam Al-
 torfini Filios, Patritios Noricos, quorum primogenitus Sigis-
 mundus, solus hodiernum superstes, non sine nominis & stem-
 matis sui splendore Senatûs Norici Pars minima non est. An-
 no M DC XXIV. famâ celeberrimi Sennerti permotus VVit-
 tebergam me contuli, & sub ejus disciplinâ in Chymicis &
 Practicis me exercui, discessurus quoque sub ejus moderami-
 ne *de Dysenteria* publicam Disputationem M DC XXIV.
 XXIII. Decembr. habui. Anno M DC XXV. Italiam petij
 ad uberiora Medicinæ capienda Experimenta; quâ relictâ
 primùm Ulmam veni, ubi suasore Gregor. Horstio, Præcepto-
 re meo veteri nunquam satis laudando, in officinâ Pharma-
 ceuticâ, quam suprâ nominavi, non sine fructu fui versatus;
 hinc Tubingæ apud D. Jacobum Müllerum in Chymicis
 exer-

exercitiis, quibus & Ulmæ ap. D. D. Stromeyerum inceperam, porro fui occupatus, atque sic Argentoratum redij, ibique pro summis in Medicinâ honoribus obtinendis doctrinam *de Arthritide* absque Præside Anno M DC XXVI. die XXI. Augusti publicè defendi: & ne quicquam deesset, quod quidem ad praxin aliquando feliciùs in mortalium salutem exercendam à prudentioribus requirevetur, post apud celeberrimum Alsatiæ Practicum D. D. Johannem Kûefferum Seniore, Patrem & Manuctorem meum Medicum venerandum, *ὄν ἐν τοῖς ἀγίοις*, me totum & Chymicis operationibus & morborum curationibus simul dedi, quorum Historias aliquot satis raras, in Metropoli, Provinciâ & Cœnobiis Alsatiæ hinc inde à me Iuvene Medico tum temporis observatas, si recensere animus esset, sine dubio & Lectori satisfacerem, & Adversarium meum magis magisque confunderem: sed vereor, ne labor nimis excrescens plus tædij aut odij pariat. Atque hoc quidem modo ad suscipiendum Doctoratûs Gradum me præparavi; cuius rei gratiâ evidentissima hæc producam documenta. Programma Doctorale publicum tale est.

(Lit. Ggg.) Copia Programmatis Doctoralis.
Johannes Rudolphus Salzmann, Medicinae Doctor & Professor ordinarius, & Reipubl. Physicus constitutus, nomine Collegij Medici, Lectori benevolo. S. P. D.

Honoris & virtutis templa, apud Romanos olim contigua, & ita conjuncta ac coherentia fuisse legimus, ut non nisi per hoc in illud aditus pateret, neminiq; neglecto virtutis templo, illud alterum ingredi liceret. Quâ edificiorum formâ, veri honoris & gloriæ proprietates depingere & significare voluisse videntur. Cum enim,

Xenophonte teste, nulla voluptas humana videatur propius ad Divinam accedere, quam ea delectatio, quae ex honoribus percipitur. Et juxta Aristotelem, bonorum maximum gloria sit, & suapte naturam grata jucundaque, & ad utilitatem quam maxime valeat; non immerito ab omnibus expetenda est; & non male mente vacillare, si non omnino carere videtur is, qui nullis omnino honoris & gloria debita stimulis agitur & lacebitur, quia aequè premiorum virtus, ut Valer. Max. loquitur, atque honorum contemplatio jucunda est, ipsam naturam nobis alacritatem subministrante; dum honorem industrie appeti, & exolveri gratè videmus. Utique honor & gloria illa vera erit, quae virtute, non quae divitiis paratur; cum, Senecam monente, pecunia ex quo in honore esse cepit, verus rerum honor ceciderit: & nemo eorum, quos divitiae in altiori fastigio ponunt, magnus sit; non qui ex amore, vel fucato animo proficiscitur honorantis, ut qui non honor, sed adulatio potius est, cum invidia conjuncta, & sic omni mutationi & interitui quam maxime obnoxia. Quare Iulius Caesar populo, per adulationem Regem ipsum salutanti, respondit; Caesar sum, non Rex: consultius ducens, privatum nomen retinere, quam novum invidia plenum & ex adulatione profectum assumere. Non quae ambitione, fastu vel insolentia aliqua acquiritur, ut quae momentanea est & facillime jacturam patitur; Non quae modo quovis alio extorquetur, & perpetua esse non potest, sed in praecipitio posita, maximis & innumeris periculis est exposita; sed quae virtutem sequitur. Gloriam enim & honorem, D. Augustino monente, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem: virtutis enim merces & premium, honor est & gloria, & uberrimum alimentum, Valerio Max. Et Aristotelis iudicio, optimus civitatis Status stabilis & firmus esse non potest, in qua non maximus virtuti honos tribuitur: verus itaque honos stabilis est & permanens, qui praeviam virtute paratur & acquiritur: hocque dignus iudicatur is, qui virtuosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Hunc desiderant omnes, qui rerum praeclare gestarum mercedem expectant; hunc expetunt ij, qui magnis laboribus, indefesso studio, vigiliis &

lucubrationibus assiduis, periculis maximis, sumptibus non exiguis, pre-
 alijs acquisiverunt id, quo rei commodare plurimum possunt publica,
 scientiamq; in arte vel disciplinâ aliqui adepti sunt eam, quâ alijs
 praelucere atq; anteponi possunt & debent; dignum enim, inquit Cassi-
 odorus, esse videtur, ut qui scientiâ est præditus, reddatur honore re-
 verendus. At cum sibi ipsi honorem attribuere & arripere, insolentia
 & arrogantia esse videatur, iudicium aliorum, & eorum quidem,
 penes quos est & jus & facultas atq; potestas decernendi, rogan-
 dum est. Ita enim Julius Cæsar, non suo sed populi iudicio, Rex sa-
 lutatus fuit. Ita Alexander Severus non proprio ausu, sed senatus
 Iudicio, ob eximias virtutes magnificis condecoratus est titulis. Ita
 Alphonsus ob eximiam virtutem & clementiam, populi consensu, non
 suo iudicio, arcum Triumphalem meruit. Ita Viri hi quorum infra
 scripta sunt nomina, pietate, eruditione, in studio medico assiduitate &
 constantiâ, morum suavitate & affabilitate, uno verbo, virtute con-
 spicui & clari, cum & ipsi laborum suorum præmium expectarent,
 id non per se arripere, sed ab ijs petere maluerunt, quibus eâ de re iu-
 dicare datum est; ut sic hoc diademate insigniti, simul testimonium
 eruditionis suæ haberent, atq; facultatem nanciscerentur eam, quæ
 huic honori convenire potest: indignum omnino iudicantes, illotis,
 quod ajunt, manibus in sacram involare Medicinam, eamq; absq;
 legitimâ vocatione & permissu facere & exercere velle. Quam
 suam petitionem cum ad Collegium detulissent Medicum, facile ea
 locum invenit, atq; mox ad examina admissi sunt ea, quibus ejusmo-
 di Candidatorum profectus explorari & perspici possunt & solent; in
 quibus, ut & disputationibus publicis, absq;ve presidio habitis, tales se
 exhibuerunt, ut unanimi suffragio digni iudicati sint, qui voti sui
 compotes fiant, quibusq; summus in Medicinâ honos, qui Doctura est,
 merito & publicè ac solenniter conferatur. Cui renunciationi solen-
 ni, cum volente ita & annuente Nobilissimo Academia Cancellario,
 destinatus sit proximus dies Iovis, qui decimus erit, quem volvimus,
 mensis, omnes quotquot virtutis sunt sectatores, & honori aliorum

non invident literasq; & literatos fovent & amant, reverenter, observanter, officiosè & peramanter rogo & invito, ut sacris hisce literarijs dicto die, horà VIII. in Universitatis nostra Brabenterio, ejusmodi actibus destinato, interesse, eadem audire, spectare, ornare & cohonestare, atque eorundem testes esse, precesq; & vota sua, pro impetrandâ gratiâ & benedictione divinâ, nostris conjungere dignentur. Erit hoc, ut toti Collegio Medico, ita & Dominis Candidatis gratissimum & perhonorificum, gratiq; animi Perpetuâ memoriâ colendum, ac quovis officij genere promptissimè compensandum. Vale. P.P. Argentina sub Sigillo Facultatis nostra majore, die octavo Maji Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Septimo.

Nomina Candidatorum, amicâ sorte, citra ullum eruditionis præjudicium, collocatorum, cum problematibus post collatos honores Doctorales explicandis.

Dn. Joannes Ludovicus Gans, Heidbacensis Francus; Quid velit dictum illud: Ager convalescens, vix melior, plerumque deterior evadit?

Dn. M. Helvicus Dietericus, Kyrttorffensis Hesus; An Astrorum in hæc inferiora corpora vires & potestates, arte Medicâ præcaveri vel emendari possint? Simulque toti Auditorio Gratiâs agef.

Dn. M. Benedictus Malleolus, Argentinensis; An Philosophia, in Praxi Medicâ faciendâ, sit necessaria & utilis?

Dn. Joannes Ludovicus Münsterus, Oringâ-Hohenloicus; An Artibus Magicis inflicti morbi, similibus iterum remediis, an rationali methodo curandi sint?

Dn. Ferdinandus Hörscher, Heylbrunnensis; An ex Mathematicis præceptis, certi quid de Sanitate & morbis, deq; vita conditione & termino, alicui prædicere liceat?

Celebrabitur hic Actus, Cancellario, Viro Eminentissimo, Strenuo, Nobilissimo, Amplissimo, Dn. Jacobo Sturm à Sturmbeck, Reipublica Pratore & Quindecim-viro.

Re-

Rectore Magnifico, Viro Reverendo, Clarissimo, Celeberrimo,
Dn. Johanne Schmidt, SS. Theol. Doctore, Professore & Ecclesiae
dignissimo.

Decano Spectabili, Viro Nobilissimo, Clarissimo atque Expe-
rientissimo, Dn. Melchiore Sebizio, Medicinae Doctore, Professore
ac Reipubl. Physico ordinario.

Promotore, Johanne Rudolpho Salzmanno, Med. Do-
ctore & Professore, ac Reipubl. Physico ordinario.

(L. S. Facultatis.)

Argentorati excudebat Wilhelmus Christianus Glaserus, Aca-
demiae Typographus.

Porro Testimonium meum Doctorale ita habet.

(Lit. Hhb.) Copia Testimonii Doctoralis.

Collegium Facultatis Medicae Argentoratensi in
Academia, Lectori Benevolo S. P. D.

Etsi ea sit virtutis excellentia, ut par illi premium constitui ne-
queat: prudens tamen antiquitas, ne nullo prorsus eam premio
afficeret, id illi assignavit, quod omnium est maximum & am-
plissimum, GLORIAM scilicet atque Honorem. Tantus enim Hono-
ris & gloriae splendor est, ut DEO Opt: Max: cum primis tribuatur;
Tanta dignitas, ut modo quodam etiam hominibus, at non indiffe-
renter omnibus, sed optimis solum ac praestantissimis decernatur. Tan-
ta Pulchritudo & Elegantia, ut illius cupiditate omnes trahantur, in-
ersque judicetur is, qui gloriae stimulis non agitur. Tanta denique vis
atque potentia, ut ad virtutis amorem homines inflammet, idque effici-
at, ut, licet aevi sint brevis, & lethi calcare viam necesse habeant, post
cineres tamen vivant, famamque & memoriam post se aeternam re-
linquant. Ceterum Honorem & Gloriam tanquam meritissimum
virtutis Βραβεϊον veneranda Antiquitas non iis solum destinavit,
qui Marte claruerunt, & fortiter viriliterque pro aris & focus, ac, ut
loquuntur, pro lege & grege, hoc est, pro libertate & observatione

patria, proq̄ Religionis defensione pugnârunt, sed etiam illis, qui tum
 in altarum disciplinarum studiis, tum in Medica facultate multum
 opera posuerunt, ejusq̄ peritiam egregiam sibi compararunt. Me-
 dicinam quippe, quod originem haberet divinam; quod speculum
 illud divinitatis, augustumq̄ Spiritus Sancti Templum, humanum
 corpus, tractaret; quod certis ac indubitatis principiis atq̄ fundamentis
 niteretur; quod res propemodum omnes, quas vastissimum hoc mun-
 di Theatrum ambitu suo complectitur, quatenus salubres sunt & no-
 xia, contemplaretur; quod deniq̄ cunâ humanæ societatis ordini-
 bus ita utilis & necessaria esset, ut nullus illius ope atq̄ auxilio, neq̄
 secunda neq̄ adversa valetudinis tempore, carere possit, sapiens An-
 tiquitas maximi faciebat, & propter artis sublimitatem etiam Medi-
 cos summo in honore ac pretio habebat, amplissimis conducebat sti-
 pendiiis, singularissimis privilegiis & immunitatibus donabat. Ne
 autem ruditas Medicastroꝝ nobilissimæ Arti ignominia aliquam
 labem aspergeret, aut hominum vitæ ruinam atq̄ interitum adfer-
 ret, maturo consilio Romæ olim eadem provida sanciverat Antiqui-
 tas, ut nemo pharmaca propinaret, nisi esset à peritis medendi Artifi-
 cibus probatus. Quod institutum salutare sanè Reiq̄ publica val-
 de necessarium, grata quoq̄ posteritas est sequuta. Soleat enim ho-
 diernâ die in omnibus bene constitutis Academiis profectus prius
 Medicinæ studiosorum explorari, quàm è palestrâ in campum, ex
 umbrâ in solem, ex literario pulvere in mediam hominum vitam
 admittantur. Exploratione autem de more factâ, & perspectâ eorum
 peritiâ ac sufficientiâ, consuetudo increbuit, ut Medici Doctoratus
 Gradu publicè condecorentur. Sic namq̄ ab indoctis medicastris,
 mendacibus agyrtis & circumforaneis, vanis rizotomis ac seplasiariis,
 qui nullam habentes vocationem, nulloq̄ instructi testimonio vi sese
 in praxin præclarissimæ artis intrudunt & experimenta per mories
 faciunt, distinguuntur, debitumq̄ virtutis & eruditionis suæ premi-
 um accipiunt. Quapropter cum ornatissimus & doctissimus Vir D.
 Helvicus Dietericus Kyrttorffensis Hessus, Reverendi & Clarissimi
 VI.

viri, D. Johannis Dieterici, SS. Theol. Doctoris, Pastoris ac Superin-
 tendentis Gifensis vigilantissimi, Filius, Medicinae Studiis esset addi-
 ctus, & in iis desudasset plurimum, tandem exantlatorum laborum
 premium à Medico Collegio Argentoratensis Academia primum
 quidem privatim à Decano, postea verò etiam publice à Facultate
 totà reverenter & officiosè petijt: In quam illius petitionem hone-
 stam, & veteranis Medicina militibus usitatam, Collegium libens
 consensit. Ideoq; Tentamen primum cum eo instituit privatim, ut
 an dignus esset, qui ad examina publica admitteretur, explorare li-
 ceret. Tentamine peracto, omnium Facultatis Professorum consensu
 ad examina duo, generale & speciale, fuit admissus, in quibus ita su-
 am doctrinam tam in Practicâ quàm in Theorica Medicina parte
 probavit, ut laudem insignem ingenij felicitis, memoria constantis, &
 Iudicij optimi atq; dexterrimi inde reportârit. De quibus dotibus
 etiam Collegium ipsi fuit gratulatum plurimum, & ut aliis quoque
 illa innotescerent, ad publicam disputationem eum hortatum. Quam
 fanè non solum prompto alacriq; animo in se suscepit, sed etiam in
 loco publico, absq; Præside, laudabiliter & cum applausu omnium de-
 fendit. Restabat ut voti fieret compos & summos in arte Medicâ
 honores consequeretur. Itaq; die X. Maij Anni M DC XXVII. in fre-
 quenti lectissimorum hominum cœtu, autoritate Sacrae Casaræ Ma-
 jestatis, & Senatus nostri inclyti, sub Cancellariatu Nobilissimi & Am-
 plissimi viri D. Jacobi Sturm à Sturmbeck, Prætoris Reipublicæ Ar-
 gentoratensis laudatissimi, Rectoratu verò Magnifici & reverendi vi-
 ri, D. Johannis Schmidt, SS. Theol. Doctoris & Professoris celeberrimi, à
 Clarissimo & Experiētissimo Viro, Dn. Iohanne Rudolpho Salzmanno,
 Medicinae Doctore à Professore præstantissimo, Promotore ritè electo,
 DOCTOR MEDICUS creatus, proclamatus, in Apollineam Cathe-
 dram evocatus, ornamentis Medicis, Libro, Pileo, annulo donatus,
 Osculòque pacis in Medicam societatem receptus est. Potestatem
 insuper Medicinae dogmata, quæ experiētiâ inventa, & ratione sta-
 bilita, ore manuq; defendendi, falsa impugnandi, egros visitandi, deq;
 affe-

affectibus eorum consultandi, accepit amplissimam. Deniq; Privilegia & immunitates publicas, Doctoribus Medicis ubivis terrarum, inprimis verò ad totius Imperij Romani Academiarum imitationem huic nostræ Argentoratensi, Sacrà Casareâ Authoritate, Divi Ferdinandi, hujus nominis secundi, concessas, unâ eademq; operâ à Decano & Promotore honoris causâ nominato, abundantissimè consequutus est. In cujus rei fidem literas hasce exarare, Sigillo Medice Facultatis majore confirmare, & recens promotò DOCTORI HELVICO DIETERICO testimonij loco tradere volumus, spe certâ fruente, ulteriore illum testimonio aut commendatione minimè opus habiturum, præsertim cum eâ sit vite integritate præditus, ut eorum, quæ secum acta sunt, facile omnibus fidem facere possit. Per scriptum Argentina die decimo Junij Anno recuperata per Christum salutis Millesimo Sexcentesimo Vicesimo Septimo.

Melchior Sebizius Med. Doctor & Professor, Reipubl. Argentoratensis Physicus, & Med. Facultatis p. t. Decanus.

(L. S.) Ego Henricus Geyer Imperiali Authoritate Publ. nec non inclitæ Universitatis Argentoratensis Notarius Iuratus, quia prædicto Actui, cum DOCTORATUS Gradus, ita, ut modo narratum, conferretur, interfui, eumq; sic peragi vidi & audiui, Instrumentum hoc, rogatus & requisitus, manu meâ ita subscripsi.

Accedant his Testimoniis Celeberrimorum quoque Professorum Argentoratensium vota, publicis typis Argentinæ excusa, quibus illi & Doctoratûs hujus mei Gradû & Vocationem sive reditum in Hassiam, tum exceperunt, quæ cum veniâ Lectoris hîc interferam, & ita habent.

*(Lit. Iii.) Vota ad Honores Doctorales & Iter in Patriam,
Clarissimi & Experientissimi Viri,*

Dn. Helvici Dieterici Hessi, Med. & Phil. Doct.

Excellentissimi, fusa; cum in Inclitâ Argentinâ, illos X. Maij, Anno M DC XXVII. hoc XV. Januarij, Anno M DC XXIIIX. adspirante Deo

*suscepisset, ab Amicis, Professoribus, Fautoribus,
in Universitate Argentoratensi.*

Quam

Quam tibi composuit Phœbeam Academia laurum
 Solenni imposuit nostra vigore manus.
 Nec prece, nec precio, nec vi, nec fraude parasti,
 Sed virtute tuâ, sed pietate tuâ.
 Sed studio & sudore tuo, vigiliq; lucernâ,
 Et lectis Medicâ semper in arte libris.
 Hanc grator, jubeoq; tibi florere perennem,
 Commoda Apollineo ferre decusq; choro.
 Quin tibi non solam, verum & mihi grator, honorem
 Tam bene me merito diribuisse viro.
 Utq; tui similes creet hæc Academia porro
 Doctores Medicos arte & honore, precor.

Johann. Rudolphus Salzman. Med. D.
 Reipubl. Physicus & Professor, atq; tum
 Facultatis Medicæ Decanus & Promotor.

Hos Tubinga olim, queis jam decoraris honores,
 Hæc sæpe optari premia mente tibi,
 Namq; tuas Musas pietas devota regebat,
 Sedulitas studiis irrequieta aderat.
 Hic ego, dum nutu Domini sacra dogmata pleno,
 Inq; DEI doceo cognitione gregem.
 Hisce oculis latus vidi, quod mente vovebam,
 Quodq; tibi pietas pollicitata fuit.
 Salzmanus siquidem Medicorum gloria summa
 Doctoris tribuit clara brabeia tibi.
 Qua quondam, quæ nunc video, quæ spero, supremus
 Apprecor ut posthac Iova beare velit.

Is quoque fortunet, quod nunc moliris an oras
 Hassiacas iter, & det bona cuncta tibi.

Amico sincerè & singulariter di-
 lecto scrib.

Johannes Schmiat S.S. Tb. D. P.P.,
 & Ecclesiast. in Acad. & Eccles. Arg.

Secreta mihi junctè fide Diterice Parentis
 Supra spem, ingenij lumine, grande decus.
 Cognitor excellens Medicina, clare Chymia
 Pervestigator, Lux Sophiaeque potens.
 Te summis merito conjunxit honoribus ardor
 Naturae abstrusas transaditurus opes.
 Te mihi perpetui communio firma laboris
 Iunxit & haesuro foedere vinxit amor.
 Te Medici splendoris honor non deseret unquam,
 Te Natura suum diliget ipsa decus.
 Non mihi te quisquam Thraso, Bucco vel Erro, vel hostis
 Invisum faciet garrulitate sua.
 Sed tandem quod poscit honor, quod amor meus urget,
 Cum patriam (fausto sidere fiat!) adis.
 Ne Patronorum te deserat ordo fidesque,
 Et sacer ordo Dei poscit & ipsa fides.

Job. Kueffer D. Practicus Argen-
 toratensis Senior.

Votum pro honore.

Inter naturae vires variosque recessus
 Quos habet aeterni dulcis imago Dei.

*Inter morborum causas multasq; quærelas,
 Quas parit arcani vis onerosa mali.
 Dudum mente sacrâ versate, Vir inclyte, tandem
 Supremum summis dotibus adde decus.
 Morborum exuviis naturæq; ornamentis
 Fulgidus, illustri vertice digna cape.
 Addis grande decus, capis amplo vertice digna,
 Aut dignum capiunt se decora ipsa sibi.
 Id natura videt vultu diducta sereno,
 Mors in postico torva tuetur idem.*

amicitia monum. f.

*Ioh. Georg. Dorscheus SS. Th. D.
 Prof. publ. & Eccl.*

Pro Viatico.

T*andem te patriæ reducem tibi sistere sanctum est,
 Tandem Cattorum quærere forte solum.
 Et te Principibus veræ virtutis alumnum
 Plenum doctrinæ sistere luce placet.
 Et te Magnatum sacris adspectibus unum
 Excelsæ mentis sistere flore placet.
 Et te sub magni Patris observando vultu
 Hoc dignam prolem sistere Patre placet.
 Factum illustre! Heros virtute Georgius ingens
 Accessu tanto gaudeat usq; tuo.
 Magnatum sacer ordo bonis adspectibus ornet
 Vim mentis summam floridioris, age:
 Et magnus Pater amplexu supra oscula prono
 Irruat in pectus, nobile mente, tuum.
 Maluerit sacris te sacrum cultibus ille
 Atq; inter mystas eradiare Dei!*

*Cùm tamen adverso te natura inclyta motu
 Aut vis, naturâ major habenda DEi,
 Ad culmen medica laudis deduxerit, inter
 Præcipuos artis jusserit esse viros,
 Fecerit & celebrem summis successibus, ecquïs
 Divinam dubitet rem tenuisse manum!
 Nec, cùm solamen te nobile viderit agris,
 Ægrè unquam Pater id credo videre potest.*

F.

*Ioh. Georg. Dorscheus. SS. Th. D.
 P. P. & Eccles.*

H*ippocratèa tuâ Laurus quòd fronte vireret,
 Invidit Momus vappaq̃; causa fuit;
 Te genuit virtus, nutritivit Gratia morum,
 Phæbus adoptavit, nupsit Hygeia tibi.
 Quæq̃ ferant alij, mea nunc sunt vota, subinde
 Majori fias dignus ut invidiâ.*

Honoris E.

*Daniel Dinckel, Phil. & Med. D.
 P. & Pract. Argentoratensis.*

Tandem post adeptos honores Doctorales (inter quorum competitores IV. D. Gansium, D. Malleolum, D. Münsterum, D. Herscherum, ex sorte secundum obtinui locum, finitoque hoc Promotionis actu, cujus Præses seu Diribitor erat Excellentissimus ille Joh. Rudolphus Saltzmannus, toti Auditorio solennes nostrum omnium nomine gratias egi, uti ex suprâ dicto programmate publico videre est;) à Serenissimo Hassiæ Landgravio Georgio ad officium Archiatri, anno M DC XXIIIX. fui vocatus; & post ad Regem, Electorem,

rcm,

rem, diversos Principēs, Comites & alios Magnates, ut suprà ex Ipsorum vocatoriis palàm feci. Hæc mea fuit educatio; hæc cura; hic labor; hæ Scholæ & Academia; hi Præceptores; hæc exercitia & studia. Nihilominus ab Adversario meo Tackenio *ruditatis & crassæ ignorantia*, non insimulor tantùm, sed tanquam Censore, verùm sine suffragio populi creato, condemnor. Quoniam more *Χαριέντων Ἰατρῶν* barbara & horrida dictio, quâ sacra nostra is foedat & conspurcat, ab Authoribus appendicis taxatur, Ego, qui ipsius voluntati & mandato aliorum in Epistolâ Alkahestinâ edendâ satis feceram, non Medicus, sed Medicorum vel *Medicastroorum spectrum, Phantasta Phantastarum, imò Grammaticus, Grammatista, Abcdarius, Ciniflo*, & nil nisi vermis & cadaver, aut, si ad summum me amet, umbra saltim alicujus docti hominis, si Dīs placet, ipsi sum. Deteriora fortè vel ignoravit vel excogitare non potuit hominis petulantissimi furor, cui, suasu rationis, non nisi Risus debetur, cùm furor sit. Si præterea quoque solatium aliquod mihi hîc esse possit misero, socios habuisse malorum, crediderim, me nec primum nec ultimum, qui in isthâc calumniæ Scholâ ita exercear. Audi, si placet, quid acciderit Heerio, si è mille aliis unicum Exercitissimi Medici Exemplum adducere fas sit! *Vidi, inquit, (observ. VI.) qui à syntaxeos classe, non salutatis vel à limine Philosophis Ambubejarum Collega & Pharmacopola factus, cùm novem circiter abfuisset à Pharmacopolio menses, Medicinæ Doct̃or in Galliâ renunciatur. Reduci obviam mihi facto, & superbe splendidis vestibus annulisq; conspicuo, ut Aristophanis joco in Neb: Sphragidonij Chargocometis, jure salutari posset, ferocienti, unde tu nobis inquam? Cur tam diu officina tua vacat? Ego, inquit, sum Doct̃or: Ergò & doctus ajo: imò, inquit, & te doctior. Amabo te, inquam, esne doctus nominaliter, an participialiter, ut Rudimentarij lovuntur? Ego, inquit, Philosophiam tuam nec assis facio; mihi sat est, & doctum esse, & Doctorem te do-*

ctio.

Etiolem. Ejus rei litera mea aurea prægrandes fidem facient vulgo. In patriam reverso, iam splendidas ostentanti membranas, vituli pro vervece scilicet, uberrima praxis obtigit: Hinc cum seni longa vigiliâ vexato, erraticâ febre semustulato, emulsiones frigidas cum diacodio & syrupo papaverino Nicolaiq; requie frustra dedisset, ad consilium me vocavit, aut acciri passus est. Quid agimus, inquam? Seni huic, qui habuit febris causi, somnus conciliandus, ait. Jam fateor, te me doctiorem, inquam, tribus enim vocibus duos solæcismos committi posse docuisti. Sed ad curam; multa, inquit, frigida incassum adhibui, & tamen solis frigidis somnum provocari, omnes docent Medici. Non puto, inquam, quemquam prudentum Medicorum in tuâ esse sententiâ, cum opium, quod inter somnifera primas tenet, Chymistæ plerique, Galenici multi calidum adferant, & inter eos Mathiolus: (lib. 4. & 60.) -- verum cum tardiu somno conciliando frustra invigilaveris; quid est somnus, inquam? Somnus est vapor, ait: ergo est substantia, subjeci. Nil mihi cum Metaphysicâ tibi in horas assuetâ, ait. Sed seni somno opus est. Nisi, inquam, somni essentiam noveris, nunquam illum tuto tibi aliisq; accerases. -- Si adhuc credis, solis frigidis homines sopiri; si mihi medicinâ fecisses, bis hoc quadrimestri me jugulâsses. Bis quinque dierum catarrho & materiâ & efficiente frigida laboravi: In utroque pervigilium tam pertinax, ut illo descendio, quindecim horas non dormiverim, multi alioquin etiam in senio somni. Sumsi quotidie bis in primâ mensâ piperis albi leviter tusa grana duodecim; interdum conditum ex cortice nucis muscata, Zinz. Chinensi, rad. acori veri, enula, Theriacâ, mythridatio, ambrâ gryseâ, conservâ betonica, anthos & c. atque utrâque vice nocte sextâ, totas decem dormivi horas, omniq; catarrho liberatus sum; bibens interim optimum hydromel, omisso omni vino, quo quamdiu utor, catarrho nunquam defungor. Si frigidis remediis, qui calidis tam citò convalui, usus fuisset, cum stomacho & cerebro algerem sexagenarius; quid mihi futurum fuisse putas? vides æquè calidis ac frigidis somnum provocari, dum adsit

con-

conveniens vapor, pro patientum varietate, quorum humores, si ad
 symmetriam debitam revocentur, justaq; quantitate cerebrum feri-
 ant, ligabitur sensus internus, quòd si tum & animus à curis, ceterisq;
 affectibus ferietur, dormient omnes. Huc usque Excellentissi-
 mus ille Medicus, Henricus ab Heer hæc de se ipse refert. Si,
 quid aliis pluribus cordatis in re simili à malè feriatis acci-
 derit, recensere in mei commodum hîc mallet, infinitus fo-
 rem. Quibus verò titulis me rudissimus hic homo hæc-
 nus insigniverit, jam suprâ ad nauseam audivistis. Sed pri-
 us desistere haud potuit, quàm si & animum & paginam o-
 mnem explêrit effusâ quoque in me ruditatis & ignorantia &
 nescio quâ aliâ plusquàm porraceâ bile. Non pudebit ipsa
 ejus verba ascribere. Statim sub initium famosarum suarum
 chartarum, illud Fabij Pictoris adversus imperitos dictum in
 me detorquet; *Non exiguam* (inquit pag. 3.) *animi doctis & ex*
arte peritis Fabius Pictor hac sua sententia attulit consolationem,
dum dixit Artes tunc solum esse beatas, quando illas Artifices ju-
dicant. At homo indoctus & in arte non peritus, quo injustius &
ineptius nihil invenitur, hoc solum rectum, ac perfectum judicat,
quod ab ipso est perpetratum. Quod & tu Pseudo-Chimice Hel-
vvig Diderice (te tamen laude tua, si quid dignum laude possideas,
minimè spoliare intendo) cum cæcis, qui de coloribus nullum judici-
um ferre possunt, præsumtuosè, partim ex innato odio, partim ex in-
scitia & mera ignorantia, ea quæ de liquore Alchæst, ex Philoso-
phis annotavi carpere non erubescis. Rursus eâdem impuden-
tiâ motus ignorantiam mihi impingit; (p. 6.) Verum hæc ipsa
ignorantissimorum & infimæ sortis, nec non ineptissimorum homi-
num natura & conditio est, ut quod rudi suo ingenio assequi non
valent, per invidiam damnent, & re ipsa ostendant prudentissimè
discurrere Senecam, multi tum ait, ad Sapientiam pervenirent, nisi
se jam arroganter pervenisse putarent. Item (p. 9.) de qua tamen
(Epistolâ de Alchæst) ob crassam tuam in omnibus ignorantiam

ne minimum quidem Iudicium ferre ne dicam corrigere poteras. Paulò post: Excellentissimi Ducis Arnhemij verba, quæ optimo viro, cui de meliore luto finxerat præcordia Titan, nunquam in mentem, de quâ longè rectius mihi constitit, venerunt, falsò à se conficta allegat, & in eo crimen falsi committit. (p.12.) *Profecto (adstantes inquit) D. Didericus artem Alcumisticam ut cum Erasmo loquar optimè novit, dignus ut in eorum recipiatur numerum, qui artem incidendi loculos callent: Rudis Stentator, præterea addit, qui Chimia titulo turgidus ut asinus pelle Leonis suffultus, aurum quod construi non potest, contra veræ Philosophiæ Principia destruere præsumit. Hæc ducis sapientissimi verba, hoc auri præsentati encomium. Paucis interjectis: (p.14.) O Agirtarum & medicastrorum omnium astutissimum. Item: (p.17.) quomodo non erubescis, falso persuasionis doctrina Chimica titulo turgidus, fucatum chimia titulum tibi furto, & rapina usurpare? porrò ibidem: tu verò medicaster, sine sua arte Alcumistica. - Videsne Phantasta. - (p.18.) Videsne medicastrorum spectrum, quomodo intelligentibus opprobrium, audientibus jocus, & risus præsumtuosa tua doctrina factus sis? porrò (p.20.) me Medicum saltem simiæ instar imitari ait. Ita quidem vanissimo mortalium mendacia mendaciis, calumnias calumniis cumulare placet; & postea Oraculum hoc, certè non ex tripode, sed turgidissimâ hominis ambitione, minimum insigni levitate depromptum ridiculè subjicit: Ego, inquit, (pag. 22.) omnia Veritati consentanea, & per me probabilia in defensionem meam contra te scripsi. Quæ ista est elatio animi? quæ arrogantia? Per me probabilia scripsi, inquis? Quis tu es? quæ tua autoritas? quod veritatis privilegium? Nemo mortalium, ne quidem summus Imperator, hoc sibi arrogat. Leges civiles sanctè sanciant, neminem in propriâ causâ Judicem idoneum esse posse. Tu verò, Tackeni, tantâ turges opinione, tantâ animi elatione, ut PER TE probabilia scripsisse tibi videaris. Pa-*

rum

rum abes à summi Pontificis infallibilitate, quæ tamen, licet Venetiis vivas, tibi, si aliqua est, communicabilis non est. Sed haud malè tibi consulis, quòd (p.22.) *iram tuam, si Diis placet, cohibeas, & ab odiosa vita & actionum mearum enarratione & descriptione desistas, ne in me contumeliosè egisse videri possis.* Intellexistine, mi Tackeni, quæ à Tuo, qui hunc libellum famosum composuit, scripta sunt? cohibuistine iram? credo; sed incidisti in furorem. Non iræ est, hominem innocentem Furti, Falsi, Homicidij insimulare; sed furoris. Quapropter iram fortè cohibes; sed furori frenum laxasti. Flagitiosum meum vitæ cursum persequeris ulterius? Iam enim (p.15.) accusasti inter potissima mea vitia; *me jurasse Archiatrum Brandeburgensem, nec tamen esse: méque (p.16.) Hamburgi existentem, Serenissimum Electorem in Prussia residentem* (discite ô Politici à novo hoc Historico, ubi Elector Brandenburgicus resideat, an in Prussia, an Berolini vel Coloniae ad Spream?) *mediante pite meâ cristallina plumbi* (egregiâ meherclè Medicinâ pro Magnate!) *tam à malis præservare, quem mederi novisse.* Grandia hæc certè, quæ profers? Cur non leviora? Bene verò, quòd quiescas; mitis es; novi Te: quo nomine quoque gratias tibi ago. Verùm jam tecum mihi res erit, optime Lector; Quid faciendum ejusmodi Adversario? Probare debebat, quæ impudentissimè evomuit. Quis enim aliàs erit innocens? Si verò ipsius affirmatio sufficit; quare non mea negatio? Veritas enim tam in affirmando, quàm negando consistit. Si itaque nuda affirmatio est causa veritatis, quur non negatio? Imò verò de jure Gentium, Illius, qui Rei fortunam subit, negatio privilegiata est, hæc scilicet prærogativâ, ut cum veteribus Ictis loquar, ut quotiescunque Actor, quod intendit, non probaverit, Reus negans absolvatur; non contrà Actor affirmans victoriam reportet. Verùm privilegio illo Rei non utar, cum jam finitum

fit Iudicium, sententiâ Definitivâ Serenissimi Electoris Brandenburgensis, quâ me plenissimè ab omnibus à Tackenio mihi impactis criminibus absolvit, ipsum verò Adversarium meum putidissimorum mendaciorum, calumniarum & atrocissimarum injuriarum condemnat. Sed cur ipsa Electoris verba non refero? (ex Testimonio Innocentiæ Electorali Brandeb. suprâ Lit. Ff.) *Quapropter vi & Autoritate hujus Electoralis Rescripti publicè attestamur, quòd saepe laudatus noster Archiater (D. Dietericus) omnium istarum Calumniarum & convitiarum &c. quibus in allegato famoso libello Tackenij indignis modis laesus est, coram Deo & toto mundo sit innocens; adeòq; istas Diffamationes, tam in genere, quàm in specie falsas exq; malitioso animo profectas esse, publicè fatemur, NOSTRUM QVE ARCHIATRUM AB IIS OMNIBUS PLENISSIME ABSOLVIMUS.* En gravitatem verborum Electoralium? sed ne minimus relinquatur scrupulus, aliorum virorum Doctissimorum, non singulorum aut privatorum, sed integrorum Collegiorum Medicorum Iudicia & Testimonia adducam, liberum Lectori relicturus arbitrium, quibus malit fidem habere, adversariõne meo, homini rudi mihiq; inimico, num integris Collegiorum Corporibus, quorum Testimonia ubique plenam merentur fidem. Subjiciam verò ea sine ullo ordine, ut in manus venerunt; nec cujusque sive honori sive præminentia hâc collocatione quicquam detractum volo, de quo solenniter protestor. Primo loco loquatur Facultas Medica Helmæstadiensis. Quid illa hâc quidem in causâ generatim saltem statuatur, sequentes dictabunt Literæ, per Excellentissimum D. D. Jacobum Tappium his diebus ad me missæ, quarum hic est valor, hic sensus.

(Lit. Kkk.) *DECANVS Senior & Reliqui Professores
Facultatis Medicæ in Illustri Academiâ Juliâ.*

Viro

Viro CL. Amplissimo & Excellentissimo Dn.
 Helvico Dieterico Med. D. Celeberrimo & Serenif-
 simi Electoris Brandenburgensis Archiatro &c.
 S. D.

Magna semper fuit vis calumniae, Clarissime Vir, & nullo fere non tempore bonorum famam atq; existimationem insectata est. Unde adeo evenit, ut nihil tam rectum tamq; salubre excogitari possit, quod voculas & impetum invidorum malevolorumq; effugiat, atq; obtreccionibus illud non excipiatur, quod gratia & honore erat prosequendum. Nec tamen idcirco quod laudabile est, deserere, aut a proposito generosus & veri honestiq; cupidus animus deterreri debet. Quin potius in incepto pergendum, & calumniae eo audacius obviam eundum est, quo majoribus viribus illa bonos oppugnandos sibi sumserit. Maximum scilicet in causa bonitate praesidium semper est situm: neq; illum quis servaverit, quem ista destituerit damnaveritq;. Eapropter & te quoq; CL. V. pessima istius, & qua mortalium saluti nulla magis insidiatur pestis, virulentis telis impetitur esse uti non possumus non dolere, ita vicissim te erigere & contra insultus illius munire quam maxime illud & potest & debet, quod & nihil ab aliis bonis & recte sentientibus viris seorsim tibi accidat, & justae causae tuae confusus alio patrocinio magnopere non indigeas. Veritas enim interdum premitur quidem & ad tempus vim sustinere cogitur injuriarumq;, opprimi tamen & plane succumbere non potest. Ideoq; etiam ut alias exitus acta probat; ita causa cujuscunq; qualitas ex eventu potissimum judicatur. Perferenda interim sunt invidiae & male cupientium machinationes, & tumultuare virusq; suum evomere illis permittendum, dummodo ab eo, quod rectum est, dimoveri & in devia abripi quis se non patiat. Quod sane si & Tu feceris, CL. V. contumeliasq; contemnendo causam tuam interim non neglexeris, & optime tibi consules &

Da 3 ad

ad calumniae insultum pro bonâ causâ fortiter excipiendum promptior paratiorq̄ fueris. Vale. Helmst. adij XXII. Ian. M DC LV.

Accedat nunc Facultas Medica Universitatis Gifensis, cum Medicorum Electoralium Brandenburgensium Testimonium, re ita postulante, jam dum supra sub *Literâ Q.* adscripserim, Iudicium verò laudatissimæ modò dictæ Facultatis tale est.

(*Lit. Lll.*) Copia Literarum à Facultate
Medicâ Gifensi.

*Vir Nobilissime, Amplissime & Experientissime,
Domine ac Amice honoratissime.*

Quas ad Musarum nostrarum contubernium emisisti, eas legimus quidem, existimantes primùm, plus famæ, quàm fidei rem, de quâ scribis, habituram, si accurate in veri cognitionem inquiratur, quòd impossibile factu nobis visum fuerit, hominem optimæ famæ, vitæ integerrimæ, eruditionis singularis, experientiæ incomparabilis, nominis deniq̄ non in uno, sed plurimis ac ferè omnibus Germaniæ locis, tum penes Cæsarem, Electores Principesq̄ satis magni, & de quo nulla unquam suspicio heterogeneitatis extitisse poterat, ab improbo quodam, uti ex relatione accepimus, & viperis nato monstro, nullo minùs, quàm Tackenij nomine, quòd veritatem minimè tangat, digno, vel solùm eminus attentari, nedum cominus lacerari calumniis posse, quòd jam tum virtutis apex, ad quam aspirasse Te semper scivimus, majorem Te omnibus iis esse voluerit rebus, quibus vel famo, vel gloria, vel quicquid deniq̄ virtutem comitari indefinenter

ter

ter solet, in dubium vocari queat. At, quod Templo, toto orbe decantatissimo, Dianæ Ephesinæ, à quodam nebulone accidisse memorat Naclerus, idem Tibi à quodam perverse notæ homine, qualem Nobis hinc inde volitans fama depingit, mali attentatum audimus. Erat scilicet Herostratus, vir nequissimus, qui cum rectè factus, à quibus abhorrebat, laudē assequi non posset, & in obscuro delitescere non ferret, Dianæ Ephesinæ augustum & celebre Templum incendere statuit, ut opere pulcherrimo & admirabili consumto, nomen ejus per totum terrarum orbem quâcunq; famâ divulgaretur. Eadem scilicet incommoda tibi adornata audimus, à quodam Hierostrato sive templi destructore. Quid enim obsecro hæctenus fuisti Dieterice celebratissime, nisi templum, in quo fama inprimis Medica certam fixamq; sibi sedem eligere voluit; quid nisi templum, in quo tot morborum, tot, ut ita loqui liceat, mortium, tot calamitatum humanarum strages annotatæ fuere; quid nisi templum, ad quod non aliter, ac ipse Artis nostræ Princeps, cedro dignus Hippocrates, cujusq; regionis per multos annos mortales confluxere, petitiuri ab inde, contra corporis vulnera, remedia, Tuæ menti, velut apprimè in hoc à Deo T. O. Maximo apparatus tabulæ, inscripta? Quid nisi templum, in quo ipsa natura thesauros suos, quos Chymia quoque proferre consuevit, ex triplici regno, deponere gavisa est? Sed en! Herostratus accedit, homo inquam, qui nuper servus tuus esse maluit, fortè ut stationem

Ti-

Tibi propiorem nactus, felicius sibi prodesse, tibiq; nocere quitus esset, famæ scilicet & fortunæ indigus, si non etiam iis indignus. Admouet facem, id est, quærit laudem & gloriam, at non eâ methodo, quâ ad gloriam itur, id est, per virtutem, sed nefario ausu famam extendere, & decus sibi parare se posse arbitratur, si idem tentaret, quod Herostratus tentavit & perfecit, & non solum orbis miraculum, templum Dianæ, quadringentis annis è Cedrinis trabibus exstructum, id est, Te per multos labores ac sudores in virtutis culmine jam jam ferè constitutum, animiq; non perituris dotibus instructum invaderet, aut calumniarum flammis denigraret, sed & tantum rerum Medicarum thesaurum penitus, quod idem fecit Herostratus, annihilaret.

Profectò quod de Caco prodit Virgilius, idem & de hoc ipso homine proferre possemus. Cacus Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum evomens, & cui in delitiis fuit vicina populari omnia. Aut ut alij: Euandri, id est, boni viri nequissimus servus ac fur. Non abs re erit, ipsius Poëtæ versus adducere;

Hic spelunca fuit vasto submota recessu
 Semihominis Caci: facies quam dira tegebat
 Solis inaccessam radiis, semperq; recenti
 Cæde tepebat humus: foribusq; affixa superbis
 Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
 Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
 Ore vomens ignes magnâ se mole ferebat.

EN

En Tibi Cacum tuum; en faciem ejus, speluncae tege-
 dae magis idoneam, quam tuae eruditionis radius illustran-
 dam. Plura ut adducam, non opus esse judico. Tu enim jam o-
 pinor caedes ejus, quas per diffamationem molitur, conspexisti,
 atq; ore naribusq; vomentem ignes, praevidisti superbum &
 arrogantem. Sit vulcanus, non chymicorū ille aruspex, aut Na-
 turæ minister, parens ejus, sed qui monstris generandis cælo de-
 lapsus est, atq; alternis claudicat, si quæ narrantur vera sunt.

Quod verò magis admiratione dignum videtur, est Epi-
 stola ejus de famoso liquore Alcahest, quam, ut ipse ait, inter
 carbones, id est, atræ suæ speluncae radios conscripsit. Mirati
 verò primū Doctorem, quòd melius loqui nesciret; mirati
 deinde sumus, quo furto hunc sibi titulum furatus fuerit, aut
 ubi? fortè propè Neapolin in Sybillæ antro? Mirati
 porrò, quis corollam imposuerit in Litajā, quæ hætenus
 claruit & adhucdum claret viris doctissimis, ut proinde
 dubitemus, an vigilans an per insomnium hunc titulum si-
 bi adsciverit, aut an vigiles an fascinati, ipsam hoc decore
 exornarint? Davi in his sumus, non cedi. Cur non ad fe-
 rulas remiserunt, aut Pythagoræ Scholam, ut prius silere,
 antequam malè loqui disceret. Dolendum est! Sed in
 risum solvimur, si solū memoriæ subit nostræ epistola Alca-
 bestina, aut si tribus saltim lineis pererratis eruditionem, quam
 ex Helmontij Alcahest possessit, loquimur ipsius verbis, no-
 tamus, ut neq; prætereamus, quàm sinistrè de viro alias do-

Ee

Etissi-

Etissimo ipsoq; Alkabeſt, de quo non aliter judicat, ac de mi-
nervâ ſus ſentiat. Sed ipſo ſuo iudicio proditur ſorex, ut
proinde non neceſſe exiſtimemus, hæere ampliùs in ipſius
vitiis contuendis, quæ jam univerſa noſtra Patria, tuis ſo-
lùm virtutibus inhærens defixa, averſis deteſtatur oculis. Tu,
ô Medicorum gloria, ocelle noſter, Dieterice Noſter, Amice
Noſter, vive, his calumniis animum habens ſuperiorem, ala-
criter, nec Te moveant viperinæ convitia lingue, in quâ ni-
hil ſalis, nihil boni ſaporis ineſt. Sal verò conſcientiæ tuæ,
& virorum Doctorem Teſtimonia Te non deſtituent; illi-
us ementitum & aliunde emendicatum fraceſcet. Tu ve-
rò tantò magis animum aſſumes contra obtrectatorem, quan-
tò miniùs anſam ipſius calumniis Te dediffe jam compertum
habemus.

Quòd ſi verò calumniari perrexerit, pro furioſo habe-
as aut deſperato, cui ne ipſa quidem Panacæa remedium af-
ferre poſſit, propterea quòd vel contra ipſum Apollinem au-
dientior ire, aut ſi vel ipſe Iupiter fulmine cælitùs ipſi mine-
tur interitum, Thebana tamen cum Capaneo ſuperare velle
mœnia videri queat. Vnde malo huic quoq; remedium al-
laturus Deus omnis calumniæ vindex acerrimus, & injuſti-
tiæ ultor atrociffimus pœnas, niſi reſipuerit, à ſuperbo ex-
poſcet. Tu interea confidentior ito, Dieterice, tuis virtu-
tibus Clariffime; in tantum hæ tenebræ officient Tibi, ut
noceant, ut potiùs tantò illuſtrior ſis evaſurus, quantò ini-
qui

quibus ab immisſis tenebris ipſoq; Cerbero obrui atq; allatrari ceperis. Tua merita novit Lanus Pater; Rhenus & Danubius admirati ſunt; acclamavit Albiſ & obſtupuit. Loquitur Te hodie adhuc Haſſia; laudat Saxonia; expetit Boruſſia, neq; minùs ſuffragatur Austria. Quid dicam plura? Confide Deo, qui Innocentiae tuae vindex erit & teſtis oculatiſſimus, neq; ſinet, ut ſemihomo, qui ad Barbariem ſua conſecravit nomina, hominem integræ fame fideiq; peſſundet unquam, quin ipſe ſpectaculum Orbis futurus nequitiae dignas ſuo loco & tempore poenas luat, niſi reſipiscat, ut proinde illi bonam impreceſur mentem; Te verò in fame virtutiſq; templo perpetuò ſuperſtitem fore & ſciamus & porro voveamus. V. Dabantur Giſſæ M DC LIII. Nonis Ianuarij.

(L.S. Fac.)

Decanus & cæteri Profefſores Facultatis Medicæ Academia Giſſenſis.

(Inſcriptio.) Viro Nobiliſſimo Ampliſſimo & Excellentiſſimo Dn. Helvico Dieterico, Doctori Medico Experientiſſimo, & aliquot Electorum Principumq; Medico meritiſſimo, Viro per Germanum orbem clariſſimo, Domino ac Amico noſtro honoratiſſimo.

Hamburgi.

Deinde audiamus Medicum Collegium Sereniſſimi Principis V Vilhelmi Haſſiæ Landgravij, Caſtellanum, cujus Literæ hæ ſunt.

(Lit. Mmm.) S. P. Ex literis tuis, Vir Nobilissime, Francobergâ ad
 Nos datis, non sine magno fastidio intelleximus,
 vivere Venetiis quendam Medicastrum, qui diu-
 turno viperarum contubernio mores induerit usq; adeo ferinos, ut cum
 doctrinâ non potuerit, calumniis celeberrimi tui nominis famam con-
 spurcare non erubuerit. Dolemus sanè, pessimam illam licentiam
 per orbem Europæum invaluisse, quâ viros de Republica & commu-
 ni patriâ optime meritos convitiis proscindere, & canino more quem-
 libet, etiam innocentem, allatrare, quivis sibi sumit potestatem. Ve-
 runtamen cognitus nobis fuit à multis annis studiorum tuorum cur-
 sus; scimus crebris vigiliis acquisitam insignem tuam eruditionem,
 & in medicando dexteritatem, quâ summorum etiam Principum
 sanitati & praes, & cum laude hactenus praefuisti. Sunt adhuc pro-
 cul dubio in scriniis aulicis egregiae tuae Consultationes in morbo gra-
 vissimo, quo Serenissimus noster Princeps V. Wilhelmus V. laudatissima
 memoria Heros, ante XXIV. annos nobiscum communicata, ut vel eâ
 de causâ nominis tui memoria sancta nobis sit & venerabilis. In-
 sudabat olim studiis suis Juventus magnâ sanè curâ, & libros diur-
 nâ aequè ac nocturnâ manu evolvebat, donec solidam acquireret sci-
 entiam, quâ commissa sibi negotia dextrè expedire posset; nostrum
 nunc seculum tam felix est, ut ex caculâ & Destillatore repente no-
 vus prodeat Medicus, si non eruditione, saltem habitu Doctorali &
 speciosis verborum ampullis spectabilis. Sed hæc fortasse dolenda ma-
 gis, quàm corrigenda veniunt, mundus enim externis speciebus & cor-
 ticibus plus inhiat, quàm utili & interno rerum nucleo. Requiritis au-
 tem, Vir Clarissime, Iudicium nostrum, cui via tibi insistendum esse
 putemus, ut Adversarij tui virulentos morsus retundere, & infræ-
 nem maledicendi libidinem infringere possis, quâ certè in re neq; ti-
 bi anxie cogitare, nec nobis consulere opus esse credimus. Habes mul-
 torum annorum experientiam, polles judicandi dextèritate, atq; adeo
 consulendi tibi ipsi rationem facile invenies; Interim quia mentem
 nostram in negotio hoc expiscari placuit, duplici tramite incedere te
 posse

posse putamus. Aut enim generosum equum imitaberis, qui canem allatrantem non curat, idq; Socratis illius Sapientissimi exemplo, qui, ut est apud Diogenem Laërtium, cum fuisset à quodam calce percussus, admirantibus illis tolerantiam, adstantibus dixit; quid enim, si me asinus calce impetisset, num illi dixem dixissem? Et ingeniosissimus Horatius in maledicum Poetam Ode VI. libri Epod. ait;

An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

Sed hæc via non satis frequens est, & raro calcatur pedite, vulgatum enim illud prævalet;

Est vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.

Thearidas certe, ut scribit Plutarchus in Lac. gladium suum expolians, & an acutus esset rogatus, respondit; Calumnia acutior; expertus procul dubio, quàm grave sit illatum devorare convitium. Heraclitus etiam insignis Philosophus dicebat; injuriam extinguere oportere magis, quàm incendium. Est igitur hæc altera ratio, a qua etiam satis, & qualem nemo tibi vitio vertere poterit, quâ Adversarium coram Iudice sese sistere, & illatam calumniam recantare coges, præsertim cum stultum arguere interdum conveniat, ne sibi videatur sapere. At hæc tu curabis pro tuâ prudentiâ, & animi satis notâ æquabilitate; Nos verò tantillum non equidem consulere, sed suggerere potius, pro nostro officio consultum esse duximus, ut & Medicorum honorem defenderemus, & quantum in nobis esset, in læsâ tuâ existimatione restituendâ sedulos nos esse demonstrarem. Vale bene & diu, Vir honoratissime, & nos amare perge. Cassellis d. XXIX. VIIbris M DC LIII.

Nobilissimæ Tuæ dignitatis studiosissimi

(L.S.)

Ludovicus Combach D. m. s.

(L.S.)

Theodorus Christophorus Goclenius
D. m. s.

(L.S.)

Wolradt Kluxholtz m. s.

(Inscriptio) Nobilissimo & Excellentissimo viro Dn. Helvico Dieterico, Ultriusq; Med. Doctore clarissimo, Archiatro & Consiliario Electorali Brandenburgico meritissimo & Domino & Fautori nostro Summopere colendo.

Hamburg.

Jam Reipublicæ Noribergensis Collegium Medicum faciam loquens:

(Lit. Nnn.) Magnifice, Nobilissime & Experientissime Vir; Domine, Fautor & Amice honoratissime.

CANOS Tuos illibato candore illustres, insigni peritiâ Medicâ claros, vitæ & morum integritate insignes, à calumniâ iniquitatis inviti audivimus & vidimus. Dolemus hanc belluam in tuam etiam FAMAM grassari ausam, illamq; dente Theonino impetisse. Tempora hæc, ut infamiâ laborant; ita infrunitâ fronte infames alunt bestias, in quas sese interfecti pudoris homines, donec satientur myricâ, transformant! Quotidie illorum morsunculas experimur & nobiscum alij viri cordati, quos Eruditio & velocibus quadrigis honor super æthera vexit. Quid Augusto Augustano Collegio acciderit? Mundus loquitur immundus, mundus autem & candore tersus improbat. Contra hos ausus obduruit mens nostra, occalluere aures. Generosiores sumus, quàm ut in arenam illam descendamus, in quâ victor victo deterior habetur; & contentionis seram reciprocare formidamus. Ut equus generosus canis latratum non curat; ita nec à virtutum curriculo absterremur conviciantium calumniis. Abstergit istarum sepiarum loliginem partim anteactæ vitæ puritas, & solida eruditio, partim fide dignorum authoritas. In hoc negotio TIBI quid desit, non videmus! Pro TE militat integra vita scelerisq; pura; Eruditio omnibus numeris absoluta, non tantum in arte Medicâ, sed & in $\mu\pi\omega\tau\epsilon\chi\nu\iota\alpha$, quam alij chymicam vocant; Serenissimi Electoris Brandenburgici testimonium; $\acute{\omicron}\mu\omega\tau\epsilon\chi\nu\iota\omega\nu$ unani.

nimis, sine fuce, sine purpurisso adstipulatio; *Ætas artis nobilissima & cruda: rerum gestarum veritas, quæ immota suo stat & perennat talo, & contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam & fictas omnium insidias semetipsam tuetur, fovet & defendit, & die delet vana hominum commenta: accuratissimum tandem & certissimum Tuæ mentis Tribunal; pectus innocens, quod alioquin facinorosis index, vindex & carnificina. Quantus enim quisque iudicio Dei atque Conscientiæ suæ est, tantus reverà, ac non major est. Sola siquidem bona conscientia theatrum virtutis est, & dulcis nutricula senectutis. Sperne Canum latratus, sperne mendacia, sperne convicia illorumque autores & fautores: Innocentiæ velum obverte Corvorum crocitatu. Quid si N. N. quidquam præter bonam fidem egit (quo nomine sese seriò excusat) improbamur, & abominamur: Censura extra nostrum forum est, & Magistratus officio competit ejusque iudicio. Galbani Theophrasti usus in paralyti nunquam & nusquam noxius fuit, teste Ratione, Experientiâ, Authoritate, Ingredientium examine, & Compositione! Quid ergo calumnia contra τὴν ἀληθεῖαν, τὸ ἀθάνατον κρῖνα ἢ ἀίδιον? Hoc uti perpetuò fruaris beatè & pacatè, animitus precamur, Tuæ existimationis, Doctrinæ, Integritatis, Fidei strenui ubique Defensores & Vindices. Dab. Norimbergæ XXIII. die Jun. Anni à partu virgineo M DC LIII.*

(L. S. Colleg.)

Decanus & Collegium Medicum Republicæ Norimbergensis.

(Inscriptio.) Magnifico Nobilissimo & Experientissimo viro Dn. HELVVIGIO DIETERICO V. Medicinæ Doctori Clarissimo, Archiatro & Consiliario Electorali Brandenburgico meritissimo, Domino & Favitori Nostro honoratissimo.

Hamburgum.

Reipublicæ Francofurtensis Physicorum Ordinari-
orum literæ hæc sunt,

(Lit.

(Lit. Ooo.) Nobilissime nec non Experientissime Do-
mine Doctor, Fautor & Amice inte-
gerime.

T Radidit nobis Pharmacopæus nostras Saltzvedelius literas tu-
as, quibus de injuriis quereris, famam tuam ferientibus, quibus
videlicet te quidam allatravit, nomine Taikenius. Causam
suspicamur animadversionem incerti cujusdam Authoris in literas
de Alkabeſt, quam his adjectam, unâ cum famoso illo atq; injurioso
libello transmisisti, obnixè rogans, ut animi sensa hinc reponamus.
Nos, quod misisti, pellegimus utrumq;. Verùm nec rationem cul-
pandi sufficientem, nec modum criminandi proportionatum, inveni-
mus. Nimirum in publico qui struit, Iudicia nil metuit, sed potius
si ad rhombum, quod dicitur, fecerint, nec ultra crepidam fuerint,
more Apellao facilis atq; citra contumeliam suscipit: In publicum qui
scribit, censuram nil timet, censorisq; rationes, si bonus sit, boni consu-
lit. Prætendi quidem potest irritamentum, fatemur, verùm id tan-
ti non est, ut furcam mereatur, quâ citra causa examen tu conde-
mnaris. Furti accusaris, fraudisq; sordida. Ast facile est, criminis
accusare, difficile crimen probare; crimen autem nisi probetur, Reus
absolvitur, crimenq; idem in Accusatoris caput redundat. Nec enim
quis famosus jure audit, quod criminis accusetur: Etenim sic scurra
quilibet posset vel innocentissimo injuriam inurere: sed quod cri-
minis arguatur. Hoc autem de te nunquam speramus, nec sperabi-
mus, imò nec credere possumus. Notus quippe es nostratibus, cogni-
tus es nobis intimè ab annis retrò multis, cum noster ex parte Collega
esses ac vicinus. Candorem tuum utiq; perspeximus, probavimus
& adhucdum approbamus, adeoq; criminis accusati innocentem te ar-
bitramur, nec dubitamus, quin omnes ac singuli, qui tecum familia-
riter conversati sunt, nobiscum idem sentiant. Ergò quid consilij?
Tua conscia mens recti ne curet crimina falsi, adeoq; tu allatratum ne-
glige, injurias oblivione vince, adversarium silentio refelle, vindictam

vin-

vindici Deo committē: Memor, quòd idem fecerint olim Viri, ut dicitur, omni exceptione majores, Joseph. Scaliger, Philippus Melanchthon &c. Ille Scioppium laceffentem ne responso quidem dignatus est; Hic cum Adversarium nactus esset, monstrum seu monstri loco eum habuit atq; longā abstinentiā vicit. Hac sunt, quæ petito regerere debuimus, imò volumus. Faxit Deus, vergant ad criminis illati discussionem, dolorisq; inde concepti lenitionem; quod utrumq; tibi animitus vovemus. Vale. Francofurti ad Mœnum d. XVI. VIIbris Anno M DC LII.

*Tibi addictissimi Medici Reipublicæ
Ordinarij*

(L. S.)

Petrus de Spina D. m. s.

(L. S.)

Ioban. Schröder D. m. s.

(L. S.)

Ioh. Guilielmus Hochstatt D. m. s.

(Inscriptio.) Viro Nobilissimo nec non Experientissimo Dn. Helvico Dieterico U. Med. Doctori, Medico Electorali Brandeburgico, Fautori atq; Amico nostro integerrimo.

Hamburgum.

In Celeberrimorum horum Virorum Classe solenniter & hęc tibi sisterem Excellentissimum D. D. Balth. Glassium, Serenissimi Saxoniae Ducis Ernesti, nec non Illustrissimorum Comitum à Schyvartzburg &c. Archiatrum felicissimum, Amicum meum è Veterum Germanorum numero locoque primum, nisi primariae ejus literae injuriā tabellionis medio in itinere perissent; quā infelicitate quoque suppressae dicuntur Augustanae. Bonitate verò causae, quidquid id est doloris levo. Interim flere omninò non debet optimus ille meus Glassius; audi, si placet, quid ipse is hisce diebus denuò ad me perscripserit.

Ff

(Lit.

(Lit. Ppp.) Fragmentum ex ultimis D. D. Balthafaris Glassij, Archiatri Saxonico-Gothani & Schyvartzburgici ad me datis Literis.

S. & O. Ad literas tuas, amicissime Dn. Dieterice, è sanitatis tuæ Spistrino (ut vocas) ante annum & amplius datas, eodem mense, quo tuas accepi, respondi, per Medicinæ quendam & Chymia studiosum, qui in celebre illud, quod G. H. esse dicitur, Laboratorium aditum querebat, atq; istâ occasione, te potissimum Promotore, inventurum, sibi pollicebatur. — Magnâ igitur cum admiratione jam ex Filij mei literis intellexi, te stomachari, atq; agrè ferre, quòd responsione te minimè dignatus fuerim. Absit, absit longissimè à me hæc arrogantia, mi D. Dieterice, à te verò suspicio, longèq; aliud ab amici tui fide expectata, tibiq; persuade. Ego autem hinc maximoperè doleo, atq; tenebri-
oni illi (tabellioni inquam) merito succenseo, ac eum, ubicunq; locorum fuerit, perquirere, rationemq; non redditarum satis rigidam abs eodè exigere non intermittā. Ne autem deesse videar amico, paucis responsionem istam hic repetam. Variè scilicet me tuæ istæ affecerunt, prout varios fortune lusus in scenam produxerunt. Singulari quidem gaudio, quòd veterem amicum adhuc superesse, imò in tanto apud Reges summosq; Principes honore & existimatione vivere, amoremq; mei pristinum spirare nunciarent. Maximoperè tamen dolui, virulento poculo te olim infectum, cum tantâ jam malorum lernâ adeò graviter conflictari. — Porro Tackenij Epistola ad nos non pervenit, nec quicquã de hoc homine mihi innotuit, nisi quòd ex quorundam literis & famâ salis viperini venalis habeo, quòd apud Aromatarios vestros prostat, & ante biennium Langermannus vester mihi Lipsiæ, sed sigillo Tackeniano munitum, monstravit, cujus aliquot uncias cum Illustris Baro Rutenus nuper Venetiis adferri curasset, mihiq; copiam ejusdem faceret; primo statim intuitu & gustu deprehendi, esse illud medicamentum, quòd D. D. Fabricius Bartholetus Med. & Professor Mantuanus, p. m. ante triginta ferè annos mecum communicavit; — proximè enim accedit ad vires salis tartari volati-

lati-

lailis; Viperini autem ne tantillum quidem continet. Calu-
 mñas & contumelias, quas scribis ab hoc homine tibi illatas, ut equo
 fortiq; animo perferas velim, neq; enim splendori tuo ullam inde la-
 bem aut maculam adspergi posse, mecum omnes, qui te nörunt, VIRI
 BONI estimabunt. — Quis allatranti cani Vir prudens oblatra-
 bit unquam, aut asino calcitranti recalcitrabit? — Hisce Vale, a-
 micorum optime, & me amare perge. Dabam Gote XXVII, Xbris
 M DC LIV.

T. Balthasar Glassius D.

(Inscriptio.) Nobili, Clarissimo Excellentissimoq; viro Dn. Hel-
 vico Dieterico, U. Med. Doctori, Archiatro Electorali Brandenburgico,
 Amico meo Veteri.

Hamburgi.

Audiamus etiam Clarissimum Husvedelium, Sere-
 nissimi Potentissimiq; Svecorum & c. Regis Medicum &
 Reipublicæ Hamburgensis Practicum
 felicissimum.

(Lit. Qqq.) Clarissime, Excellentissime Experientissimeq;
 Vir, Domine, Fautor & Amice plurimum
 honorande.

Etsi sæpius ad te scribere conatus sim, nescio tamen quæ semper
 obstiterint causa, quò minus vehementi meo desiderio satisfacere
 potuerim. Ut enim ea mittam, quæ justæ alicujus excusatio-
 nis locum sibi vendicare possent, alia nonnunquam nihil tale opinan-
 tem occupavere illiterata valde negotia, quæ à scribendi proposito
 me diverterunt; illis omnibus cum jam aliquo modo functus sim,
 ad officium redire placuit, præsertim cum è Magnifico & Amplissi-
 mo Dn. Consule Dn. Mollero, summo fautore & Mæcenate nostro, non
 obscure intellexerim, literas meas te avidè expectare. Caterum quæ
 de re coràm tecum sæpe locutus sum, luxatione nempe femoris Nobi-

lissimi juvenis, ab eo tempore quo in Bataviam ablegatus, certi nihil intellexi, nisi quod hisce diebus, incerto quamvis auctore, rumor spargeretur, melius scilicet illum paulo valere, idque à multis creditum est, quoniam, ut est apud Græcos, ἀπερ βουλόμεθα ταῦτα καὶ πῆς εὔομεν; Et sanè omnibus modis optandum esset, utcumque nonnullos in ruborem daret, qui hoc ipsum ἐν τῶν ἀδυνατῶν constantissimè judicarunt, sed quò magis hoc verum esse cupimus, eò magis plerumque metuendum est, ne secus eveniat, & ut verum fatear, ego ipse huic parti valdè timeo. Sed de his & aliis V. D. coràm pluribus agemus. Apologiam illam tui adversarij, si tamen Mendaciorum & calumniarum fasciculus Apologia dicenda est, ab eo tempore nec vidi, nec magno-perè desideravi, quis enim magnis istis & enormibus delectaretur calumnijs, nisi nugivendus ipse & auctori calumniarum simillimus? Ego sanè mirari satis non possum, quoniamquam adeò dementiæ pervenire, quoniamquam omnem humanitatem adeò exuere posse, ut plusquam diabolica mendacia, tanquam Sybille folia, aut ex tripode dicta orbi erudito offerre non erubescat: quò verò illa sunt graviora, eò minùs Te feriunt, qui instar palma, si verum est, quod fertur, gravissimo appressæ oneri adversus resurgis, teque erigis. Et quod de Antæo proditum, quoties ille ab Hercule humi prostratus succumbebat, novis subinde æquisitis viribus adversarium superabat. Ita Tu, Vir Excellentissime Victoriæ tam maximè reportabis, cum adversarij illi tui triumphum quàm maximè canere videbuntur. Et si verò alieni consilij haud indigus sis, suaderem tamen, ne istiusmodi retri-mento, omnis honestatis & bonæ mentis hosti capitali te pollueres, quia attinet enim singula illa, quæ sine teste dicit, prolixè refutare? Erigat te rectè factorum conscientia; cogita, quis sis, & cum quo tibi negotium; ita sanè plumbea illa, & nullâ ne umbrâ quidem veritatis subnixâ dicteria, haud magis formidabis, quàm pleno Cynthia vultu atroces canum expavescit latratus.

Quid sapiens fatui convitia vana moraris,
Non alio didicit more vel ore loqui.

Tune

Tiſne Afinum contra rudentem rudere tentes?

Inq, fera calces calcibus ire velis?

Revoca tibi potiùs in memoriam Consulis quondam Romani ef-
fatum, qui oratione à nemine se poſſe lædi, non ingenioſe minùs, quàm
verè affirmavit; Veram enim neceſſe eſſe bene de ſe proloqui, fal-
ſam vitã & moribus facillimè à ſe refutari. Mirum verò inter mor-
tales reperiri, qui pleno meridie ſolem ſplendere negent, aut, quod
perinde eſt, ocularem fidem, quæ merito omnium certiffima habetur,
ejurare non vereantur, quod in tantã hãc cauſã manifeſtum ſatis, ubi
tanta calumnia vis, ut falſa & ficta pro veris, nunquam audita pro
compertis habeat, eadẽq, tantum non aliis perſuadere conetur. Quis
unquam medendi exquisitiſſimam peritiam in te deſideravit? quis
recte conjunctam rationi hanc eandem non laudavit potiùs? ſuccur-
rit illud Bibilici vatis;

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe Poëtam,

Sed, qui me vendit, Bibliopola putat.

Sit unus vel alter τῶν ἀκούων, qui in medendo famam tuam
canis inſtar arrodât, nihil ſanè tibi nocebunt, cum tot aula Potentiſſi-
morum Principum, tot celeberrimæ Reſpublicæ contrarium demon-
ſtrent; quid enim? annon toties abſentem revocarunt? ampliſſimisq,
ſtipendiis hoc egerunt, ut quantum poſſibile inſtar tutelaris Dei apud
Ipfos, aut non ita procul ab iis degeres. Hæc omnia quantumvis e-
gregia ſint, multisq, propterea oculos vehementer dolere ſciam, majo-
ris tamen apud me momenti ſunt, quæ vidimus ipſi, & quorum ali-
qua pars etiam nos fuimus, quanquam hæc omnia enumerare, nec
Epiſtolæ leges permittant, & tua quæ inſignis eſt modeſtia abhorret.

Hæc & hujus generis alia ſi tecum perpenderis, Vir Excellen-
tiſſime, nullus dubito, quin ſibilos quocunq, vipereos, aut cuiusvis den-
tis noxiij morſum, fallaciſſimæ lingue invidos ſiſſurros æquiſſimo ſiſ-
laturus animo. Virtus tua & Eruditio & cum his pari gradu jun-
cta Experientia Medica ſuprà ſunt, quàm ut ab unius vel alterius
ſtulti Homuncionis, Terra filij, ſordidiſſimo periculo magnoperè tibi

metuendum sit. Bene feliciterq; Vale, Vir Excellentissime, & quod facis mihi facere perge. Dabam festinâ manu Hamburgi, Anno M DC LIII, postrid. Non. Septembr.

T. Excellentia

omni officio

Ioan Albertus Husvedel D. Reg.
Maj. Svec. Medicus, nec non Practi-
cus Hamburgensis.

(Inscriptio.) Clarissimo Excellentissimoq; viro Dn. HELVICO
DIETERICO, Philosopho & Medico celeberrimo, Domino & Amico
meo plurimum honorando. Colonia ad Spream.

Item acutissimum Dn. Lunckerum Eloquentiæ &
Medicinæ Professore in Academiâ Marpur-
genfi eximium.

(Lit. Rrr.) Magnifice, Nobilissime, Experientissime Vir, Me-
dicorum nostri seculi Musagetes nunquam non
venerande.

Petulans & malignum scriptum in Te sine Authoris nomine
contumeliosè nimis effutum vidi & spreui, tanquam ab inscio
& temerario profectum, qui malevolum animum aliena fame
obtrectatorem publicè testari voluerit: Audiens postea Ottonem Ta-
ckenium se illius Architectum (Authorem enim dicere non permittit
optimo Prisciano injuriosa illius Epistola barbaries, quam de liqvo-
re Alcahest publica luci dare anxie voluit) profiteri, inconstantiam sive
trepidationem tacite exprobraui, quòd non ausus fuerit in medium
prodire, ideoq; latuerit Apellis instar post tabulam, aliorum iudicia
exploraturus: Cautus satis, si latuisset, cum verò temerarius prodie-
rit, propriâ confessione notus, pœnâ illâ, quam diffamator quilibet
turpem meretur, afficiendus potius, ne quid acerbius dicam, quàm re-
spon-

sponsione vedam literarum alloquio dignus; Si quis enim opes ere-
ptum it, patibuli candidatus habetur, quanto magis fama & boni no-
minis prædo, cum fama & fidei damna, majora sint, quam qua esti-
mari queant. Quicumque ille sit, qui in appendice præfata Epistole
lectorem, de incongruis solæcismis & Authoris inscitiam monuit, non
ideo debuisset bene monenti canino more oppedere & Apologetico sar-
casmo in Te virum Probum invehere, quem Appendicis illius Autho-
rem precipitanter suspicatur, quasi falli non potuisset; Prudens iti-
dem, si tacitam censuram illam æquo tulisset animo, neque plumis de-
stitutus cum Aquilâ in sublimia eniti ridendo conatu tentasset, cum
verò rusticè indignetur, quòd monitus fuerit, & in Pseudologiâ suâ
non Grammaticos sed Philosophos sibi censors postulet, audiat prius
Critici eum illorum catalogo inscripsisse, qui Hippocratis Vinculis
alligandi, ad agnatos & gentiles deducendi, à se amissi: hos verò ita
Criticè, Philosophicè stolidos indigitari, ausim sponsionem facere, ipsum
antea nescivisse. Posset tamen etiam Philosophia Tua contra hostem
hunc Sophistam gloriose insurgere & dulcissimâ eruditæ literaturæ
irradiare luce, nisi ab amœnissimo Musarum consortio sese separare,
pro propudio forsitan haberet. Satis pagellarum inanium habet mun-
dus, & literaria Reipubl. interfuit, novellum hunc scribendi cacoëthe
prurientem Philosophum, moneri prius, ne inimicâ barbarie lauda-
tissima sapientum monumenta evertat, & illibatus maneat latinitatis
honor, repudiatis passim verborum fœtoribus.

Utique igitur ridendus esset insulsus ille scriptor, si insultantia
sua, licet sordide scripsisset, modo non improba, imò iniqua & falsa si-
mul evomisset: Te falsarium esse, pro Crystallis auri nigram confe-
cisse picem, sub specie Auri potabilis conficiendi summam Auri Ele-
ctori furatum, & sine vocatione vel manumissione, tanquam Erro-
nem per Germania Principum aulas vagatum fuisse &c: & ita omne
malitiæ virus exhibilasset, ut impetuosè detraheret

hærentem capiti meritâ cum laude coronam.

Sicut araneæ casses & filamenta mirâ arte è suo corpore gi-
gnunt;

gnunt; sic iste fraudium argutos laqueos suo apte ingenio necit. Adeo
 latus est ad calumniam limes; & in quo liberis quadrigis illa inve-
 hat & exultet. Verum uti in morbis, Hippocrate nostro iudice, in
 sania signum est, festucas colligere, ita delirantis ingenij indicium, in
 fictitijs occupari, ut mendacijs suis caput & famam innocentis petat,
 tanto fastu & arrogantia, ut eo manifestius improbi hominis rabies
 declaretur. Neq; enim furtis, sive peritiâ vulgari, tantum & tam il-
 lustre promeruisti iudicium, dum Te Optimi Electoris Optimus Filius
 Archiatrum summâ cum fiducia suum hodiernum adhuc probat,
 quantumq; intelligentiâ, fide morumq; probitate valeres, gravissimo
 testimonio declarat. Edere insuper posses decem alias Serenissimas
 Regum & Principum, quæ Te interioris admissionis Medicum assci-
 verunt, vocationes, & eam munificentiam liberali manu adjecerunt,
 quantum aliorum vota operâve haud possent; eâ tamen semper frui-
 tus fuisti citra invidiam, quia merebaris. Adeo contra veteris di-
 etæ sententiam rationem Tuæ felicitatis reddere & splendidiori for-
 san conditione vivere, Psyllumq; Tuum atq; Ophiogenem, venena tan-
 tum sugere natum, velut ex ossem pedem suum rodere, cogere posses,
 si velles. Quid si, quod fama ad nos delatum, & fide aut assen-
 su fortè non carebit, regereres, ipsum Illustri aliquo in loco in
 furto deprehensum, in carceres coniectum & ad furcam agendum
 fuisse, nisi maturè furtiva terga subduxisset? Sed hæc & plura alia
 mala vita acta & testimonia modestè siles potius, cum Lippis & Ton-
 soribus notum sit, totum Tackenum, quantum est, non nisi ex malitiâ
 & atheismo constare, qui susq; deq; habet, anima sive ipsi per jugu-
 lum, sive per os exeat, uti eum propriâ manu ad Te scripsisse non sine
 horrore legi, hominem, qui insignis Medicus, cui aliorum salus con-
 credenda sit, audire vult, eousq; vesania progredi, ut propria incurius
 sit. Verum enim verò opponas huic, & vitæ & famæ Latroni, Pa-
 tientie scutum & rectâ cervicè feras, quod Magni Viri vitare nun-
 quam potuerunt, è quorum longo catalogo duos instar omnium allegare
 fas sit. Hippocratem sc. quem mortalium propè omnium veneratum
 fu-

fuisse consensum, Suidas Author est; Alterum Aristotelem, de quo Cicero testatur, in rebus vel inveniendis vel iudicandis acriorem non fuisse, & doctissimus Averrhoes, eum quasi regulam & exemplar esse, quod natura invenerit, ad demonstrandam ultimam humanam perfectionem in materiis. Illum tamen Guidiorum Bibliothecam incendiisse, calumniatus fuit Andreas; hunc Eurymedon Atarnensium Tyranno pæana cecinisse, & concubina rem divinam Eleusinio ritu fecisse, atq; vitiorum omnium sentinam esse. Hoc enim est invidia ingenium, ut malignitatis suæ nunquam oblita, præclara facinora & res egregie gestas, modo criminationum machinis violentè concutiat, modo suspicionum cuniculis callidè subvertat, & virtutem tanquam umbra corpus insequatur.

Macte Vir Ingenio & virtute vides, non in viles, telum suam armare & exerere calumniam, sed eos, quos doctrinâ & aliâ laudè alios indignantur anteire. Credo verò id adhuc in fatis forsitan fuisse, ut tot adversitatibus, per quas ad summum, inter Philosophos & Medicos nostri seculi, honorem constanti eluctatus fuisti animo, ultimò accederet famæ latrocinium. Famæ enim celebritas emulorum odia provocavit, ut, quatenus æquari non poterat virtutis oppositu, calumniis supprimeretur. Quod igitur Varro olim de malâ conjugè; ferendam eam aut tollendam esse: Tu usurpa de pessimâ Tuâ Viperarum, & tolera, quia non tolles. Feras, imò & spernas; licèt enim ad ravim usq; debachetur, & rodat famam, nunquam arrodet & tollet illam, quæ bona semper erit apud bonos. Vale. Patrone animi submissione plurimum honorande & fave

Dabam Marburgidi-
bus Maji 1653.

Excellentiæ Tuæ

Observantissimo,

Dum res & ætas & sororum
fila trium patientur atra,

Conr. Theodoro Lünckern D.

Gg

(1A-

(Inscriptio.) Magnifico Nobilissimo & Excellentissimo Viro
 Dn. Heluvigio Dieterico U. M. Doctore Celeberrimo, Consiliario
 & Archiatro Electorali Brandenburgico meritissimo, Patrono suo Prae-
 ceptoris loco venerando.

Hamburgum.

Quibus addemus literas Reverendi Ministerij
 Hamburgensis.

(Lit. Sss.) Patientiam Christianam, & Spiritus
 Sancti solatium.

HAud pridem Te ingenti compunctum esse mœrore, Excellentis-
 sime & Praclarissime Dn. Doctor, Amice officiosè colende,
 non absq; cordolio recordamur, cum Filium Medicae Artis Do-
 ctorem, praclarâ virtute & literaturâ conspicuum, paternae gloriae ex
 asse heredem amiseris; & illum quidem in alieno commorantem
 solo inaudiveris immaturâ morte exstinctum; quo vulnere pene-
 trantissimo, quantopere sauciata fuerint tua praecordia facile conjici-
 ent, quotquot non omnino ignari erunt paternae in prolem propen-
 sionis. Veruntamen immodico luctu ne utiquam animum excrucia-
 bis, cum Numini, amicissimos nostros avocanti, recalcitrare piaculum
 sit, toleranter profecto & mente serenâ excipiendum erit, quicquid
 etiam sacrosancta inflixerit dextra; Compesces proinde luctum, cum
 Natum non amiseris, sed ex viventium ergastulo emissum pramise-
 ris ad superiora & aeternum duratura Patriae caelestis culmina eve-
 hendum. Israëliticorum Regem celebratissimum Tibi sistimus, qui
 amarè defleverat languentem, sed exstinctum haud quaquam deplo-
 ravit Natum, eò quòd irrecuperabilia lugere obdurata impatientia,
 quàm solidiori pietati convenientius esse probe sentiret. Licet ergò
 spes tua paterna publico orbis emolumento Eundem destinaverit, velut
 non inutile terrae pondus, sed generosa mentis Candidatum, oppidò
 tamen Te submittis nutui placitoq; veri & summi Parentis, qui il-
 lum

lum in vernante aetatis flore gratissimâ & omnibus modis absolutâ perfectione donare voluit, ne contaminati hujus seculi venenata coluvies mentem obfuscaret. Veruntamen ut nulla calamitas sola, cum nexu concatenato adversa cohererent, sic altero quoque vibice pectus tuum percuti & inquietari illubenti animo inaudivimus, quàm obrectator virulentus divulgato famoso Libello aculeatorum scommatum facibus farto, honori tuo, nominisq; celebritati, insidias struxit, & injuriarum evomuit plaustra. Istam subdolè illatam injuriam quòd agerrimè feras, & ad animum revoces pestiferam lividi oris rabiem, non est quòd quis demiretur, cum eodem passu cum vitâ ambulet fama, quàm si quis susq; deq; habuerit, seipsum injuriâ vix eluendâ afficiet. Veruntamen ut impura hac maledici oris nequitia animum tuum venenato morsu excruciet, admittendum non erit; generosâ potiùs mente cavillantis tenebrionis spicula retorqvebis. Tantus profectò fama tuæ decor est, ut hasce maculas injuriosè aspersas facillimè expungat tanta perspecti candoris integritas: (quæ ipsis etiam Orbis Magnatibus Serenissimis, Ducibusq; Illustrissimis satis explorata innotuit, ut publico Diplomate Electorali Serenissimus S. R. I. Elector Brandenburgicus innoxiam Famae Tuæ innocentiam propugnare non dubitaverit.) Tanta deniq; Optimorum quorumvis & infucate sentientium virorum benevolentia & propensio Te roborat, ut ista male sana rabies suâ sponte humum mordeat. Macte ergò, VIR Excellentissime, virtute tuâ, & rectiùs expende, virtutis honorisq; indivulsam pedissequam esse invidiam. Longissima istorum series est, qui cavillantium insultus exceperunt, neq; hoc solum, sed toleraverunt quoque masculè. (magni etenim animi est spernere calumnias, easq; nullo suffultas veritatis scipione alacriter temnere.) Moesen equidem Germani Fratris Sororisq; impetus torqvebat, sed adeò non expugnabat, ut benevolentiam pristinam, precesq; pro incolumitate fundendas cohiberet; Davidem impudentissimus scurra calumniis proscindebat, & sanguisugam proclamabat virum, qui patientia & modestia exemplarerat exactissimum. Quid Supremo Salutis Restau-

ratori evenerit, non est quod prolixius sistamus, de quo Spiritus
 monitum elegantissimum extat; Istum (inquit) contemmini,
 qui tot insultus & obtrectiones pravaricantium toleravit, ne pro-
 tinus animum despondeatis. Ecquis enim cum capite convitijs di-
 risq; divexato non pauxillum incommodi toleret? Esto itaq; animo
 bono & constantissimo, Medice celebratissime, fremat interea, furat,
 evomatq; virus pro lubitu guttur maledicentis Antagonista: adversus
 omnes ejusmodi machinationes animum mascule obfirmabis: scilicet
 hic murus aeneus esto

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Deus renum scrutator facile malevolorum technas pessundat, praeter-
 ea cuncti sinceritatis sectatores ad serpentinos obtrectionum sibilos
 aures cautè obstruunt. Caterum ut publico Eruditorum emolumento
 haecenus feliciter velificari coepisti, dehinc quoq; impigrè perge, & à
 Numine maximo redhostimentū, atq; à cœtu virorum in orbe Eminen-
 tium propensionem rectè obtinebis. Nos haec qualiacunq; solami-
 nis pharmaca penetrati Tuo propinare volumus, quæ ut medelam æ-
 gritudini cuivis offerant, seriò optamus. Vale in Dn. Jesu feliciter,
 & prolixo Urbis nostræ, imò & Orbis commodo diurna. Hamburgi
 1. Febr. Anno Christi 1654.

Excellentiæ Tuæ
 addictissimi

Senior, Pastores, Archidiaconi cæ-
 teriq; Ministri verbi Dei in Eccle-
 siâ Hamburgens.

(Inscriptio.) Clarissimo & Excellentissimo Viro Dn. Helvi-
 co Dieterico, Medicina Doctore celeberrimo, Serenissimi Electoris Bran-
 deburgici Archiatro Eminentissimo, & Practico apud Hamburgenses
 felicissimo, Amico nostro officiosè colendo.

His

His denique & Excellentissimi Theologi D. D.
 Hannekenij Literas adnectere placet, quarum allegata
 dicta Hebraica juxta vulgatam versionem la-
 tinè expressimus.

S. & O. Nobilissime, Ampliss. & Experientiss. Vir, Domine Amice
 Svetus, & fautor pl. honorande ac fraternè dilecte. A grè mole-
 stèq; fero, ejusmodi tibi ab aliis molestias creari, ut adornanda A-
 pologia bonas horas, curanda valetudini aliorum hominum & bono
 publico dicatas, impendendas existimes. Scis virtutis esse, malevolorū
 convitia magno animo contemnere. Intelligentia (quippe) hominis
 retardat furorem ipsius, & gloria ejus (est) praterire pravaricationem,
 Prov. 19. v. 11. Tot in Germaniā testes habes omni exceptione ma-
 jores, tuæ solidæ eruditionis & sincera pietatis, tot passim exstant mo-
 numenta felicissime à te exercita medicina, ut omnino frustrà sit, quā
 illa in dubium vocare audeat. Recenserem nostra exercitia Philo-
 sophica & Philologica, in Universitate Giseni A. 1617. 1618. 1619.
 quāmq; te ibi ob oris modestiam amaverim; adderem conversatio-
 nem nostram Altorphinam, A. 1623. quā ibi gratus Nobilibus,
 quorum liberis informandis & regendis præeras; quā dilectus
 Dominis Professoribus, & honoratus studiosis, ob eximias animi
 dotes, exstiteris; & cum Doctoris Medici titulo insignis in Has-
 sian ad nos redieris, quantus in aulā Serenissimi Hasso-Darmstadini
 Principis, & universā Hassiā, ob laudatissima artis tuæ spectamina
 elita fueris, quibus votis Professores Marpurgenses te in Facultate
 Medicā Collegam expetierint, & plura talia, nisi ad te ipsum scribe-
 rem, & à fœdā vanæ adulationis specie toto pectore abhorrerem. I-
 gnosces verò candida *παρρησία*. — Accusatus est, ut scribis, ad-
 versarius tuus ex lege diffamari ab ipso Serenissimo Electore Bran-
 denburgico, & citatus judicialiter. Non comparuit, nec crimen di-
 luit. Diffamationis igitur reus est. Quid cum ejusmodi ulterius
 contendis? Honori & existimationi tuæ satis putarem fore, si publi-
 co vel in patenti, quā vocant, formā edito programmate, prætermis-

(Inscriptio.) *Nobilissimo Amplissimo & Experientissimo viro, Dn. Helvico Dieterico, Philosoph. & utriusq; Medicinæ Doctori celeberrimo Domino, Amico & Fautori suo plurimum honorando & fraternè dilecto.*

Hamburgi.

EX his jam, Lector Optime, judica, num Tackenio, uni homini, inimico meo summo, tot mendaciorum convicto, rudi & imperito; quàm sex Collegiis Medicis & uni Theologico, & viro Theologo gravissimo, & tribus alijs Medicinæ Doctores plus fidei sit habendum? Tuum erit arbitrari; ego, ne iudicium Tuum corrumpere videar, ne verbum quidem amplius addam; Si priùs Te amicissimè rogavero, ut candidè, ut sincerè, ut sine ullâ affectuum perturbatione sententiam ferre non graveris.

Cùm jam de ruditate, ignorantia & Pseudochimia satis superque dictum sit, ad imperitam medendi rationem, imò homicidia, quæ à me sub specie curationis commissa esse mentitur, transgredior: de quibus ita impudentissimè scribit: (p. 20.) *Quanta damna, inquit, per Medicum Pharmaceuticorum scientia ignarum emergant, in te pro dolor tanquam in speculo videre est, qui ubi apud imperitum vulgus garrulitate tuâ tandem fidem nactus es, post multas fabulas ad pharmaca tandem descendis, ingenij ostentandi gratiâ, chymica tibi ignota proponis, Galenica & mixta sine omni methodo (ut testes sunt Orphani & vidua I. M. B. cui Galbanetum in aridâ contracturâ præter Paracelsi mentem ordinasti) ineptissimè præscribis, & viribus inter se sæpe pugnantibus, ut Medicum saltem simia instar imiteris. Quod si ordinata potio casu potius quàm arte profuit, curam in cælum loquacitate tuâ extollis, si contra quid nocuit, culpa omnis in egrum à te transfertur; in summa de hominum non magis, quàm de pullorum cæde es sollicitus, sicq; non modo tuam ledis conscientiam (quam tamen desperatorum*

more

*more parvi aestimas, sed & agrorum sanitatem, vitamq; homicidæ in-
star simul cum pecunia furcis.*

Quàm inepta & insulsa hæc sunt? quàm ab omni etiam verisimilitudine aliena? Hoc sanè adsevero, me tot minimum Officinas Pharmaceuticas honestè, & more Medicis usitato, visitasse, quot tu, Tackeni, antehac undiq; per Germaniam turpiter defraudaveris. Quin & in eisdem, & in laboratoriis variis, me olim bonâ fide operatum esse, & supra ostendi, & alioquin certus sum. Ritu itaque & explosione potius, quàm responso & hæc & alia tua omnia digna sunt. Num si non omnes ægroti curantur, sed illorum nonnulli fati concedunt, statim illorum Medici homicidæ? Quis, quæso, Medicorum ab hâc labe erit immunis? Vitam immortalē mortalibus præstare, non nisi immortalis Dei est: hominis & per consequens Medici vires longè excedit. Non sunt docti & pii Medici adeò audaces & temerarij, addo etiam impij, qui ansint sub animæ & æternæ suæ salutis pignore, inò execratione etiam, ægrotis polliceri sanitatem, uti à Te sæpissimè fieri solere multi nunciant. Longè meliorem Poëta de Medicinâ fert sententiam, quàm ipse Medicus, dum ait:

*Non est in Medico semper relevetur ut ager;
Interdum doct: plus valet arte malum.*

Num nemo eorum, qui curationi tuæ fuere subjecti, licet de sanitate ipsorum dejeraveris, in vivis esse desit? Interroga quæso tuam conscientiam, Tackeni, quàm multi eorum perierint, num culpâ tuâ, tute sciveris? Nolo verò ea in apricum producere, quæ multorū Principum, Comitum, Baronum, & Nobilium sermonibus ad me de tuis curationibus perlata sunt, & verbis fidei plenis, juramentis quoque, si ita vis, probare volunt: meam enim innocentiam ostendere constitui; non verò tuam malitiam patefacere. Falsif-
sima

testimonium perhibere velit, ad defendendam summam ejus innocentiam, ipsi hoc denegare noluit. Et verò Serenissima Ejus Electoris Celsitudo modò dicto D. Dieterico verissimum & locupletissimum hoc testimonium absq; ullâ veritatis lesione dare potest, quòd Serenissimi Patris piissimè denati Clementia beatissimæ memoriæ ipsum omni tempore singulari gratiâ fuerit profecuta, & curationes ejus semper clementissimè probaverit, quam ob causam etiam Serenissima Celsitudo ejus jam Regens ipsum simili gratiâ & clementiâ profequi pergit. Quòd verò præter omnem spem & expectationem mœstissimus obitus contigerit, certè is potius immutabili Consilio & Voluntati immortalis Dei, (qui non minus Regibus & Principibus ac vilissimo cuiq; mortalium terminũ vitæ certò statuit, quem transilire nemo potest) quàm Medico acceptus ferendus; præsertim quum durante curatione eam, quã potuit, adhibuerit diligentiam. Quocirca Serenissima Electoralis Celsitudo omnes & singulos Ipsius subditos clementissimè monitos vult, ut ab omnibus calumniis & obtreptionibus adversus sæpius dictum D. Dietericum omninò desistant, aut quibus libitum fuerit quicquam adversus ipsum tentare, Serenissima Celsitudo non poterit non delinquentes debitæ pœnæ severè subjicere. Quod quilibet servabit & à damno sibi cavebit. In fidem Serenissima Ejus Celsitudo suâ manu scripsit & camerali Sigillo roborari jussit. Dab. Regiomonti, XV. Decembr. Anno M DC XL.

(L.S.)

Friedericus V Vilhelmus.

Ean-

Eandem sortis iniquitatem subire cogebar in Daniâ, ubi malevoli mei, uti fieri solet, multa admodum sinistrè de me divulgant, contra quos Potentissimus Rex me in suum Patrocinium recipiebat, ut ex sequentibus literis apparet.

(Lit. Vvv.) Copia Defensionalium Regis
Daniæ.

NOs Christianus IV. Dei gratiâ Daniæ, Norvvegia, Vandalorum & Got'orum Rex &c. notum facimus & fatemur, quòd Nos Doctissimus Vir Helvicus Dietericus Medicinæ Doctòr humillimè rogaverit, ut ipsum, quandoquidem à pluribus calumniis oneraretur, ipsiq; innocenti varia impingerentur, contra ejusmodi insultus & diffamationes in Regale Nostrum Patrocinium recipere dignaremur. Quùm verò Regij Nostrij muneris sit, quemlibet contra persecutiones & ruptam vim tueri, humillimis ejus precibus deesse nolimus, ipsumq; in Nostrum Patrocinium recepimus. Recipimus etiam eundè vigore harum præsentium, ita quidem, ut adversùs quoscunq; quibus ipsum falsò traducere & diffamare, aut aliâ ratione inquietare & persequi libitum fuerit, ad ostendendam innocentiam suam, Regiâ Nostrâ manu sublevare & adversùs quasq; insimulationes potenter tueri & defendere velimus. In fidem manu Nostrâ subscripsimus & Regio Nostro Sigillo communiri fecimus. Dabantur in Regiâ Nostrâ Arce Hassniensi die XXX. Aprilis Anno M DC XLIII.

(L.S.)

Christianus.

Hh 2

Quam

Quàm feliciter verò Serenissimum Daniæ Principem Christianum V. curaverim, non tantùm ex Ipsius Celsitudinis literis & Serenissimæ Ejus Conjugis Magdalenæ Sybillæ ad Serenissimum Hassiæ Landgravium Georgium & Ejus Celsissimã Conjugem datis, suprâ à me sub literis Ddd. & Eee. recitatis, sed insuper Illustrissimæ Principis Magdalenæ Sybillæ literis suâ manu ad me per familiariter scriptis, & publicis Ejusdem Celsitudinis testimonialibus sufficientissimè constare potest, quas recitabo omnes.

Fragmentum ex literis, manu Serenissimæ Principis Sybillæ Magdalenæ, Serenissimi Principis Daniæ Christiani V. Conjugis, Nicopiâ Falstriae ad me scriptis II. Decemb. Anno M DC XXXIX.

(Lit. Xxx.) **D**ilecte Dn. Doctor, mane nobiscum; quia Dominus Maritus meus certò credit, neminem Medicorum Ipsum rectiùs curare posse, quàm Te ipsum. Paulò pòst. Nuper tantoperè cum morbo conflabam, ut sacrâ etiam synaxi usa fuerim. Postquam itaq; cum Deo reconciliata eram, de tuo Pulvere Solari portunculam sumebam, cujus tantæ erant vires, ut intra quatrimum me pristinae valetudini reddiderit. Ille pulvis auri diversos confundebat &c. Paulò pòst: Si illum pulverem solarem aliis Epilepsiâ laborantibus adhibeo, videor plus efficere aliis, etiamsi omnis latinitatis ignara sim. Ita Serenissima Celsitudo Ejus per familiariter mecum per literas loquitur. Sed majoris adhuc fidei gratiâ adjungam Ejusdem Celsitudinis Testimonium publicum.

(Lit.

(Lit. Yyy.) *Magdalena Sybillæ Princ. Dan. Testimonium Innocentiæ publicum.*

Nos *Magdalena Sybilla Dei gratiâ Nata ex Electorali Stemmate Saxonico & desponsata Princeps Saxonica &c. Vigore harum notum facimus & fatemur, quod præcipuè Regia Dignitati piissimè defunctæ, olim Domini Nostri Soceri Serenissimi Principis Domini Christiani IV. Dania, Norvegia, Vandalorum & Gothorum Regis, nec non beatissimè denati Domini Nostri & Mariti, laudatissimæ memoria, Serenissimi Principis Christiani V. Dania, Norvegia, Vandalorum & Gothorum electi Principis, Dilectioni, Ducum Slesvici, Holsatiae, Stormariae & Ditmarsiae, Comitum Oldenburgi & Delmenhorsti &c. & Nobis ipsis, Doctissimus Vir, dilectus noster & fidelis, Dn. Helvicus Dietericus, Philosophia & Medicina Doctus, à Regia Majestatis Dignitate & Dilectione ab Electorali aulâ Brandenburgensi ad functionem Archiatri ordinariam clementissimè vocatus, operam suam dicavit & inservierit; quiq; in dictâ suâ functione non tantum de Regiâ Dignitate & Dilectione, sed Nobis etiam debitâ fide, diligenti operâ & anxîâ sollicitudine in humillimâ subjectione præclarissimè meritus & ferè in toto Dania Regno, Divinâ adjutus gratiâ, ob maximè notabiles & felicissimas curationes, honorem, famam & existimationem sibi paravit; ut adeò Nos nil nisi ea, quæ fidelissimum Archiatrum decent, & sentire & testari possimus; & omni tempore clementi memoriâ tenemus, quâ ratione Dilectissimi Domini Nostri & Mariti piissima memoria proximè Deum valetudinem firmâ sic satis longo tempore conservavit, & Nostro iudicio, quantum quidem per humanam prudentiam conjicere possumus, diutius forte vitam ei protrahere & Nobis summe dolendum obitum prævenire potuisset, modò ipsius salutaribus consilijs semper fuisset locus relictus. Nos ipsa etiam laudabilem ejus Medicarum rerum scientiam pariter & experientiam tanto cum fructu & incremento Nostræ valetudinis in No-*

„ Stromet corpore experta sumus, ut ipsum propterea non possimus
 „ non summam extollere laude. Quoniam vero post beatissimum
 ex hac terrenam vitam excessum tam Ipsius Regiae Dignitatis, quam
 Dilectissimi Domini Nostri Mariti Dilectionis, propter imbecilli-
 tatem corporis saepius clementissimam dimissionem humillime fla-
 gitavit, ipsius preces, licet prudentissimis & vere salutaribus ejus
 consiliis & officiis lubentissime diutius frui optassemus, clementissi-
 me, & ut merebatur, exaudita sunt, & cum peculiaris gratia, quam
 dignus est, indiciis dimissus. De quibus omnibus & singulis ad hu-
 millimam ejus implorationem & vim veritatis mediante nostra ma-
 nus subscriptione & Sigilli Nostri Principalis appensione clemen-
 tissime testari volumus. Dab. Altenburgi die 11. Februarij Anno
 M DC LIV.

(L.S.)

Magdalena Sybilla.

Laborabat & Ipsa periculosissimo Cholerae morbo, adeo, ut plerique Medici de vita ejus desperarint, & advo-
 cati curationi propterea interesse noluerint, quam solus
 Dei gratiam ad optatum finem produxi, uti hac de re Seni-
 oris Fabricij Archiatri Regii literae loquuntur.

(Lit. ZZ.) Salutem & officia paratissima.

Literas tuas Gotorpio, die 14. Octobr. datas, hodie mane in
 templo accepi, & non sine animi dolore inde enormia sym-
 ptomata, quibus Serenissima Princeps obnoxia fuit, intellexi,
 legi etiam quibus usus medicamentis, & tecum merito gratias a-
 go Deo, qui illis vires infudit, ut jam nunc rursus quietem a vo-
 mitu experiatur, ille porro & virium residuam debilitatem emen-
 dabit, & si nulla adest febris, tuta erunt omnia. Neque dubito, quin
 tantam copiam vitiosorum humorum educam deinceps, recollectis viri-
 bus, Serenissima Princeps rectissime valitura sit, id quod opto & a-
 nimitus voveo. Caterum pro visceribus vomitu isto debilitatis,
 meo iudicio non male facturus es, si electuarium ex stomachicis &

cor.

cordialibus conficias, quibus rad. Scorzonera conditam, cornu cervinum philosophice preparatum, item ebur ustum & similia, quae siccando & abstergendo, vim alexipharmacam adjunctam habent, immiscueris, quae tu etiam me non monente rectissime praescribes. Bene vale & feliciter negotium tuum age. Itzehoâ die XV. Octobr. anni M DC XLIII.

T. studiosiss.

Jacobus Fabricius D.

(Inscriptio.) Viro Clarissimo Excellentissimo Dn. Helvico Dieterico U. Medicinae Doctore, Serenissimi Principis Daniae Electi, nec non Ducis Holsatiae Regio Archiatro, Fautori & Amico suo.

Quo eodem ferè tempore Reverendissimus & Serenissimus Episcopus Euthynensis Joannes, Dominus meus Clementissimus, suâ manu ad me scripsit & de calumniis, quibus valde onerabar, consolatus est. Recitabo elegantissimas ejus literas.

(Lit. Aaaa.) **G**ratum mihi fuit, Clarissime Domine Doctore, ex literis tuis videre, quod tandem navi tuâ post variorum turbinum procellas appuleris Hafriam antiquam illam tuam sedem, ubi quotidie Serenissimi Daniae Regis Ora vultusq; tibi intueri, & quod caput eî, singulari Ejus gratiâ frui licet. Interim satis mirari non possum, Te tantoperè torqueri de iniquâ tuâ sorte, quâ Te vexari credis; nempe plures de Te sinistrè loqui & sentire. Verum crediderim, eximias tuas dotes, quas Deus Immortalis largâ manu Tibi in sevit, quasq; studio & labore in immensum auxisti, adeò Germaniæ innotuisse, ut extra calumniatorum jaçtum posita esse videantur. De me nihil dico, sufficit Te scire, me Tibi optime velle. Vale & firmiter tibi persuade, me constanti & nunquam desiturâ gratiâ & benignitate te esse complexurum. Euthyni die XXII. Augusti Anno M DC XLV.

(L.S.)

Johannes Episcopus.

(In.

(Inscriptio.) *Viro Clarissimo Helvico Dieterico Serenissimorum Regis & Principis Danorum Archiatro.*

Hafniam.

Quomodo verò in aliorum Principum functionibus medicis me gesserim, ex Quatuor Serenissimorum Principum testimoniis publicis liquidò apparet.

Serenissimi Ducis Slesvici, Holsatiæ Regentis **FRI-
DERICI** Testimonium publicum.

(*Lit. Bbbb.*) **FRIDERICUS DEI gratia, Heres**
Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Diti-
marsia, Comes in Oldenburg & Del-
menhorst.

Notum esse cupimus omnibus & singulis hæc visuris & lecturis, annos abiisse complures, ex quo vir singularis eruditionis & experientia Helvicus Dietericus Medicinæ Doctor, inter Archiatros nostros cooptatus, sic Nobis fidem suam, industriam, summamq; in arte Medicâ dexteritatem probaverit, eaq; scientiæ non vulgaris specimina subinde ediderit, ut non possimus non ea laudare, virumq; hunc bonis omnibus omni meliori modo commendare, minimè dubitantes, cum in plura loca nominis famam sparserit, pluresq; inter Principes Imperij operâ ejus fideli usi fuerint, non defore, qui nostro Testimonio calculum suum adjiciant, reliquos verò quibus innotescet, nihil Nos gratiæ tribuisse reapse deprehendant. Quibus rebus cum Clementiam nostram

stram

stram promeritus sit, cuius gratiosos effectus plus unâ vice expertus est, optamus ut & uberrimum ex hoc nostro testimonio apud omnes fructum capiat. Quod ut fiat, etiam atq; etiam petimus, benignè postulamus & gratiosè cupimus. Dabantur ex arce nostrâ Gottorpiensi. a. d. XXXI. Octobris Anno M DC LIII.

(L.S.)

Fridericus.

(Lit. Cccc.) Serenissimi Principis Georgij
Hassiae Landgraviij &c. Testimo-
nium.

NOs Georgius Dei gratiâ Hassiae Landgravius, Comes in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Nidda, Ysenburgo ac Büdingâ, notum facimus omnibus ac singulis, qui literas hasce patientes visuri, lecturi, aut tenorem earundem audituri sunt, Virum Doctissimum, cum arte Medicâ, tum verò integritate vitæ conspicuum, quondam Archiatrum nostrum, Nobis singulariter fidelem ac dilectum, Doctorem Helvicum Dietericum non sine justo & acerrimo animi dolore, apud Nos fuisse conquestum, quòd homo quidam, Otto Tackenius nominatus, Venetiis nunc subsistens, edito typisq; expresso tam virulentissimo, quàm impudentissimis mendaciis, injuriis ac calumniis referto, Nobis à prædicto Doctore Dieterico exhibito, libello, famam ac honorem Ipsius diris modis lacerare, & quasi plaustris convitiarum ac probrorum Eum onerare, eaque crimina, flagitia &

li

fa-

facta ipsi impingere non fuerit veritus, à quibus ipse & fuerit & etiamnum sit alienissimus, quæq; Tackenius iste neq; probarit unquam, neq; in omne ævum probare possit, additis precibus humillimis, ut ipsi, utpote qui per tot annorum spacia Archiater noster fuerit, integritatis ac innocentiae Testimonium perhibere velimus. Quemadmodum autem non ingrata memoria tempora illa recolimus, quibus, & quidem circa annum M DC XXIIIX. prædictus D. Helvicus Dietericus à Nobis ex Alsatiâ, ubi Argentorati per biennium se in praxi Medicâ apud celebrem Medicum Iohannem Küfferum Seniore exercuerat, ex recommendatione, & obcuras notabiles, etiam tum temporis ab ipso laudabiliter exantlatas, in Aulam nostram ad gerendum Archiatri officium vocatus fuit, nec non insimul Nobiscum reputamus & perpendimus, quàm laudabiliter, quantâq; Nobis satis superq; cognitâ atq; perspectâ industriâ, diligentia, dexteritate, virtute, integritate, candore ac fidelitate, officio isto suo per octo annos functus fuerit, neq; quicquam commiserit, quod reprehensione vel vituperio dignum judicaverimus, itemq; quòd ipsum non ultrò vel ex aliâ quàm ipsi honorificâ causâ dimiserimus, imò quòd ipsum dimissuri non fuisset, nisi Serenissimus Princeps, Dominus Georgius V Vilhelmus, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperij ArchiCamerarius ac Elector &c. Cognatus noster dilectissimus piæ memoriæ (cujus Dilectioni, ex insigni curâ, apud Serenissimi Prin-

Prin-

Principis, Domini Iohannis Georgij, Ducis Saxoniae, Iuliaci, Cliviae, & Montium &c. Sacri Romani Imperij Archimarechalli & Electoris &c. Cognati & Domini Soceri Nostri Dilectissimi honoratissimam Dominam Conjugem, & magni nominis Viros, non exiguâ suâ cum laude præstitâ, innotuerat) apud Nos precibus & flagitationibus tantopere institisset, ut tandem iisdem victi, aegrè tamen, in prædicti Doctoris Helvici Dieterici Archiatri nostri, utpote complexionis, Naturæ ac temperamenti nostri ac Principalis nostræ Familiæ exactè gnari, & semper fidelis & industrij reperti Ministri nostri abitum, ad Aulam Electoralem Brandenburgensem, consenserimus, & quòd porrò abundè constet, imò omnibus ferè notorium sit, ipsum Regibus, Electoribus, Principibus & aliis Magnatibus, singularia sua (quibus in arte & Praxi Medicâ pollet ac præfulget) dona, industriam, assiduitatem, integritatem, experientiam accurandi morbos etiam periculosissimos felicitatem probasse, quòdquæ deniq; etiam ipsius, nunc hîc loci præsentis, operâ ac consilio medico quandoquæ hisce ipsis diebus utamur Ipsi: Ita è contrario valdè mirati fuimus, ac indignantes indoluimus, inveniri potuisse hominem, qui sæpe dictum Doctorem Helvicum Dietericum tot tantisque convitiis, criminationibus ac probris onerare, scriptoque famoso existimationem, honorem ac nomen viri, de tot, summæ, medicoris & infimæ sortis, hominibus, optimè meriti, contaminare, taliaque ipsi facinora &

facta objicere ausus fuerit, quæ partim Serenissimus Princeps
 Dominus Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis,
 Sacri Romani Imperij Archicamerarius ac Ele-
 ctor &c. Cognatus noster dilectissimus, partim Nos, par-
 tim verò ProConsules ac Senatores Reipublicæ Hambur-
 gensis, novimus esse falsa, prout, cum Domini Electoris Di-
 lectio, tum modò dicti ProConsules ac Senatores Ham-
 burgenses testimoniis suis, subscriptionibus & Sigillis com-
 munitis, satis superq; demonstratum iuverunt. Attesta-
 mur itaque sub propriæ manus nostræ subscriptione ac Si-
 gillo, dictum Doctorem Helvicum Dietericum, industri-
 am, diligentiam, experientiam ac felicitatem in curandis
 morbis, itemq; integritatem vitæ, & alias virtutes ac à
 Deo ipsi concessa dona Nobis per octo officij sui annos
 tam laudabiliter probasse, veluti suprâ pluribus commemo-
 ravimus, ita ut ipsum à criminibus, etiam ratione istorum
 annorum, quibus in nostris officiis fuit, ipsi impactis interq;
 ea, quòd unâ (si etiam de Nostrâ id intellectum velit Ta-
 ckenius) aulâ deceptâ, aliam sine vocatione adiverit, prorsus
 immunem & alienissimum iudicemus, & de cætero etiam,
 cum ex suprâ allegatis Testimoniis, tum aliis de causis inno-
 centissimum, imò potiùs laude ac encomio quàm improperio
 (cujus occasionem etiam ab ineunte adolescentiâ, pietatem, vir-
 tutes ac bonas artes diligenter consecutando, ipsum vitavisse, à
 fide dignis & iis, qui tum temporis in Academiis cum eodem
 conversati sunt, accepimus) dignum arbitremur, impertiendo
 ipsi

ipsi

Ipsi de super, nec non integritatis & illibatae existimationis ipsius, hoc nostrum testimonium Principale.

Præterea omnes ac singulos, cujuscunq; sortis conditionis aut status illi sint, amicè, gratiosè ac benignè rogatos & monitos esse volumus, ut huic Nostræ attestatiōni publicæ plenam fidem habere, & sæpè dictum Doctorem Helvicum Dietericum de Nobis bene meritum, ac integritate vitæ conspicuum virum, gratiâ, favore, patrociniō ac promotione, quocunq; tempore ac loco complecti velint.

In horum omnium fidem literas hasce patentes manus Nostræ subscriptione ac Sigillo communivimus. Dabantur Darmstadij in Arce Nostrâ die sextâ Septembris Anno supra Millesimum Sexcentesimo quinquagesimo tertio.

(L.S.)

*Georgius Hassiæ Land-
gravius.*

*Serenissimi Principis VVilhelmi, Hassiæ Land-
gravij &c. Testimonium.*

*(Lit. Dddd.) Guilielmus per Dei gratiam
Hassiæ Landgravius, Princeps Hersfeldiæ, Comes
Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhainæ, Niddæ ac Schavvenbur-
gi. Omnibus ac singulis, quibus hæ Literæ nostræ
patebunt, Salutem & Gratiam
nostram.*

*Serenissimi Electoris Brandenburgici Cognati & Affinis nostri di-
lectissimi, Archiater, Vir præstanti doctrinâ & arte Medicâ per
Germaniam celebris D. Helvigijs Dietericus, ex Hassiâ ori-*

undus, sincerè nobis dilectus ac fidelis, non sine animi dolore coràm
 nuper Nobis exposuit; tamen in exactam hucusq; etatem in nemi-
 nem fuerit iniquus, honorem tamen atq; existimationem suam ha-
 tenus illibatam nunc demum à quodam malevolo præter omne su-
 um meritum ita lædi atq; proscindi, ut quamvis ex multorum sen-
 tentiâ convitia ista notoriè & apertè falsa silentio potius & contem-
 tu, quàm aliis modis vindicanda videantur, necessarium tamen du-
 xerit, famam suam hucusq; incolumem veritatis Patrocinio tueri, ali-
 orumq; de se ac vitâ suâ iudiciis ac testimoniis communire; Nos hu-
 millimè rogans, ut quæ de personâ ac statu suo comperta haberemus,
 nostris quoq; literis clementissimè attestari vellemus. Cum itaque
 perspecta Nobis sit hujus viri integritas, facile illi fuit, id ipsum à No-
 bis impetrare. Et testamur modò dictum Doctorem Dietericum
 propter singularem virtutem, excellentem doctrinam & raram in
 arte Medicâ peritiam, piè defuncto Electori Brandenburgico, Cognato
 nostro, dum viveret, dilectissimo, ad extremum vitæ spiritum charum
 acceptumq; semper fuisse, totiusq; Familiæ & aulæ Electoralis (testan-
 te & inter alios ejusdem Familiæ Electoralis Principe Coniuge no-
 strâ dilectissimâ) favorem, gratiam ac benevolentiam obtinuisse, &
 apud suprâ memoratum Dominum Electorem, Cognatum & Affi-
 nem nostrum etiamnum provinciam Medicam laudabiliter sustine-
 re, prout & antè suam fidem, experientiam & eruditionem insignem
 Illustrissimis Principibus, Honoratissimis Parentibus nostris, ipsum ap-
 probasse, & à Regibus multisq; Germaniæ Principibus ac Civitatibus
 honestis vocationibus subinde ornatum, frequenter ab iis accersitum,
 in pretio habitum, eorumq; munificentiam, honoraria ac stipendia
 extraordinaria retulisse sæpius, & in hunc usq; diem non sine singu-
 lari laude & famâ mereri scimus. Hoc Testimonio, ne veritati de-
 esse videamur, præfatum Doctorem Dietericum, Medicum præcla-
 rum, antiquæ fidei ac virtutis virum, vitâ ac famâ integerrimum,
 ornare non dubitavimus, Omnes ac singulos pro cuiuslibet, status &
 conditionis dignitate amicè & benevolè rogantes, ut optimum hunc
 & vi-

& vite doctrinaeque claritudine conspicuam virum, gratia, benevolentia ac patrocinio suo complecti velint. In quorum fidem literis hisce propria manu subscripsimus, easque Sigilli nostri appositione communiri iussimus. Cassellis ex Arce nostra die XXIV. Septembris Anno M DC LIII.

(L.S.)

Guilielmus Hassia Land-
gravius.

Serenissimi Principis, Francisci Caroli, Saxoniae Ducis, Testimonium publicum.

(Lit. Eeee.) **N**os Franciscus Carolus Dei gratia, Dux Saxoniae, Angriae & Guesstphaliae &c. Omnibus & singulis publicis his Literis notum facimus, quod doctissimus Vir Helvicus Dietericus Medicinae Doctor, Regum, Electorum, Principum & Comitum olim Archiater, jam Serenissimi Principis Domini Friderici VVilhelmi, Marchionis Brandenburgensis, S. Rom. Imp. ArchiCamerarij ac Electoris &c. Cognati nostri dilectissimi Dilectioni a Consiliis Medicis, non tantum Medicam, quam exercuit & etiamnum exercet, arte, nec non chirurgiam & chymiam praere reliquis eximius, sed fide, candore & integritate vita maxime conspicuus & de multis mortalibus optimè meritus, non sine intestino accerrimoque animi dolore apud Nos humillimè conquestus fuit, se suamque famam & existimationem, quam multo sudore sibi peperisset, a vanissimo quodam homine, cui Otto Tackenius nomen est, quiq; jam Venetiis degit, scripto famoso publicè edito & per potissimas Europa regiones divulgato, cui Titulum fecit; Apologia contra Falsarium, & Pseudo-Chimicum HELVVIG DIDERICUM; gravissimè esse lesam, cum se non tantum praegrandum scelerum, furii puta, falsi, homicidij, fraudulenta deceptionis, audacissimè insimulaverit, sed praeterea ejus eruditionem & medendi artem, quae unanimi Regum, Electorum, Principum, Comitum & aliorum Magistratum

con-

consensu, nec non consentientibus Germaniæ Academiarum & Collegiorum Medicorum suffragiis, pollet maximâ, in dubium vocare, imò ruditatis & crassa ignorantia condemnare non erubuerit; Nosq; humillimè implorârit, ut, quandoquidem ipsum jam à pluribus annis novimus, eum non tantum Principali nostro Testimonio ad innocentiam ejus defendendam sublevare, sed nostro etiam Patrocinio contra malevolorum & præcipuè impudentissimi sui adversarij calumnias, insultus & putida mendacia defendere clementer dignaremur. Quæ admodum verò justissimas duximus ejus preces; ita ipsis quoque clementer locum relinquere voluimus. Ut enim scelerati & facinorosi severis mulctandi sunt suppliciis; ita boni & bene meriti non tantum contra impios improborum ausus clementer defendendi, sed suâ etiam, quâ merentur, laude non frustrandi. Utrumq; Deus Ter Opt. Max. Diva justitia, & salus non Reipublica tantum, sed ipsius mortalis generis præcipit, exigit & flagitat. Quum verò Nobis anno M DC XXXVI. hujus seculi modo dictus D. Dietericus in aula Electorali Brandenburgensi primùm innotuerit, ex eo tempore ipsum omni gratiâ & Principali favore dignum judicavimus & reapse etiam complexi sumus. Præterquam enim quòd Serenissimi Principis, Domini Georgij VVilhelmi, Marchionis Brandenburgensis, S. R. Imp. ArchiCamerarij ac Electoris, Cognati nostri dilectissimi Dilectio ipsius egregiam peritiam pariter & dexteritatem medendi, cum peculiari felicitate conjunctam, & singularem fidem, candorem, sedulitatem & summam innocentiam vitæ, Nobis audientibus & videntibus, sæpius commendârit, eumq; propterea omnibus reliquis prætulerit; Nos ipsi etiam singulares ejus dotes & experientiam in multis rebus, non tantum in Medicâ arte, sed Chirurgiâ etiam & Chymiâ sæpissimè cum singulari animi voluptate perspeximus; atq; adeò hanc ob causam ipsum flagrantiori gratiâ fuimus profecuti. Quocirca non possumus non indignari pessimo Calumniatori, quòd tot tantorumq; criminum, à quibus tam longè abest dictus D. Dietericus, quàm cælum distat à terrâ, aut oriens ab occidente, reum ipsum age-

re non dubitavit, cum tamen omnia contraria plerisque Germaniæ
 Magnatibus sint notissima. Nos sanè, quoad Nobis quidem no-
 tus fuit, in ipso nihil aliud, quàm fidem, candorem, integritatem vitæ
 & summam rerum Medicarum, Chirurgicarum, Physicarum & Chi-
 micarum peritiam, necnon singularem medendi felicitatem animad-
 vertimus, & eo nomine in plerisque Magnatum aulis commendari au-
 divimus, tantum abest, ut ullam vel furti vel alterius infamis scele-
 ris aut ruditatis & ignorantia, multò minus vagæ oberrationis & de-
 ceptionis aularum ulli mortalium, nedum Nobis, qui intimè à tot an-
 nis ipsum novimus, nec unquam sinistri quicquam vel in Aulâ
 Electorali Brandenburgica, sæpe sæpius à Nobis frequentatâ, vel alibi
 locorum de ipso aut musitari aut spargi inaudivimus, attulerit suspi-
 cionem; quum à plerisque summo cum desiderio, non contemnendis condi-
 tionibus fuerit ultro evocatus & gratiosè habitus. Quemadmodum &
 Nos unâ cum dilectissimâ nostrâ Dominâ Coniuge ad Acidulas
 Vildungenses, quas jam bibimus, ejus consilio non sine valetudinis
 nostræ incremento utimur, quo ipso & aliàs sæpius cum fructu &
 commodo nostro usi fuimus, utemurq; porro. Quæ in specie de
 Galbaneto calumniator inspersit in famoso suo libello, ea falsa, pue-
 rilia, imò scurrilia omnia esse certissimi sumus, cum ejus usum, vires,
 effectum sæpius nobis felicissimè probaverit. Quapropter cum in
 universum omnia scelera furti, falsi, fraudulenta deceptionis, nec non
 calumnie de ruditate & ignorantia à veritate sint remotissima, Nos
 ad veritatem & innocentiam D. Dieterici defendendam Principali
 Nostro verbo fatemur & testamur, grandem injuriam fieri sæpius di-
 cto D. Dieterico à suo calumniatore, in omnibus & singulis, quæ per-
 versissimus homo ipsi impudentissimè objecit. Rogamus & mone-
 mus omnes & singulos amice, gratiosè & benignè, ut PRINCIPALI
 huic nostro testimonio fidem habere, calumniis & injuriis Tackenia-
 nis omnem abrogare; D. Dietericum verò virum bonæ famæ & il-
 lese existimationis habere & omni gratia, favore, benevolentia &
 promotione, quibus dignissimus est, omni tempore sublevare velint. In

*fidem omnium supra dictorum nostrâ manu presentibus hisce literis
subscripsimus & Sigillo nostro manuali roborari fecimus. Dabamus
Ipsis Kalendis Augusti, Vildungâ ad Acidulas, anno supra millesi-
mum sexcentessimum quinquagesimo quarto.*

(L.S.)

Franciscus Carolus.

Quibus addi possunt jam supra allegata & integra re-
citata bina Serenissimi Electoris Brandeb. nec non No-
bilissimi Senatus Hamb. testimonia, ut ad eò de vitæ
meæ innocentia & methodicâ pariter & fideli, nec infelici
curandi ratione post tot & tam illustria testimonia omni ex-
ceptione majora non sit amplius dubitandum. Ne verò
nihil dicere videatur, nescio quæ de Galbaneto, ejusque usu
conferit; *hujusq; rei orphanos & viduam I. M. B. testes addu-
cit, cui me dictum Galbanetum in aridâ contracturâ præter Para-
cellsi mentem ordinasse, mentitur.* Primum omnium verò De-
um testor, me & orphanos & viduam I. M. B. & ipsum illum,
quem siglis illis tribus denotat, ignorare; quem mihi non
gravabitur nominare. Si enim vera sunt, quæ scribit, quare
nomen dissimulat? quare id non exprimit? Veritas sanè lu-
cem non fugit. Postulo itaque à Te, Tackeni, si non me-
ris calumniis mecum agere vis, ut illum virum, quem literis
illis designare vis, nomines; nam nego & pernego, tale quid
à me unquam esse factum. Quòd si mihi hoc officij præ-
stiteris, en Magistratum Regionum montanum requiram, ut or-
phanos & viduam relictam, aut alios (si hi fortè non am-
plius supersunt) hujus rei conscios, juramento prius ab iis
præstito, examinet, illorum dicta diligenter annotet, mihi que
& tibi publicâ auctoritate sub Senatus Sigillo in formâ pro-
bante meis sumptibus transmittat, ut orbi ostendere queam,
quid veri vel falsi calumniis tuis subsit. Quandiu verò illo-
rum nomina mihi non patefeceris, tandiu non possum
non

non Te pro mendaci & detractore famæ & existimationis meæ habere. Me Galbanetum sæpius adhibuisse, & quidem cum magno ægrotorum fructu, non nego; quod verò Tu affingis, iterum iterumque pernego. Usus egregij hujus medicamenti audi quæso, ex Collegio Medico Noribergensi, cujus verba non possum non transcribere; *Galbaneti Theophrasti usus in paralyti nunquam & nusquam noxius fuit, teste Ratione, Experientiâ, Authoritate, Ingredientium examine & compositione.* Quid ergò calumnia contrà τὴν ἀλήθειαν τὸ ἀθένατον χεῖμα καὶ ἀίδιον? Imò Serenissimus Princeps, Franciscus Carolus, Saxonix Angrix & VVestphalix Dux, harum rerum, si ullus alius, peritissimus, principali suo testimonio apertissimè testatur, ea omnia, quæ de Galbaneto inspersa sunt, falsissima esse; imò me Serenissimæ Ejus Celsit. ejus usum, vires, & effectum sæpius felicissimè probasse. Verba ipsarum literarum principalium hæc sunt; *Quæ in specie de Galbaneto calumniator inspersit, in famoso suo libello, ea falsa, puerilia, imò scurrilia omnia esse, certissimi sumus, cum ejus usum, vires, & effectum sæpius nobis felicissimè probaverit.* Hac de re si adhuc dubitas, adi quæso, & consule authores practicos, Theophrastum, Sennertum in primis, Quercetatum, Hartmannum, Riverium, Schröderum & alios, qui omnes ac singuli Galbaneti usum, circa quem ego tantopere peccasse tibi falsò videor, egregiè commendant, sive manifestas sive occultas ejus qualitates spectes. Ecquid judicabis Tackeni de Balsami Sulphuris interno in Phthisi usu, si Galbanetum in contracturâ aridâ, cui in cerebro tuo canino clam opposita est *humida*, tantopere tibi sordet & exosum est? Quapropter hanc etiam calumniam, reliquis Tackenianis sordibus & quisquiliis meritò annumeramus. Atqui cogor & hæc & ista & omnia Tackeniana scommata instar vanissimi alicujus Canis latratûs aut sibili serpentis pati ac spernere. Recordor modò,

quid Strabo scripserit; (*Geogr. 15. p. mibi 471.*) *Cercopithecus* nempe apud *Prasios* reperiri, maximis (*Megasthene Authore*) canibus majores, & totos albos præter faciem, quæ nigra sit, apud alios verò econtrà, caudæ longitudinem supra duos cubitos, præterea mitissimos, & circa adortus & furta non malignos. Tu, *Tækeni*, facie niger, cætera albus, sale viperino albicante undique conspersus & tinctus, vel econtrà; mitis quoque, quòd me sub furtum, quod per te, si possibile, committere debui, rabiosi molossi instar non discerperis; caudam verò tuam viperinam duos imò centum cubitos excedere credo, quâ Venetiis Hamburgum usque extensâ me adeò verberas, ut tantum non suggillationem aut singultum aliquem extremum inde patiar, cætera simul illæsus. Idem modò laudatus Author (*ibid. p. 472.*) refert, quibusdam in locis serpentes esse binorum cubitorum, membranaceis alis, ut *vespertilio*. Eos per noctem volare, & lotij stillas demittere, quæ incautos tabe offendant. Tu, mi *vespertilio*, non solâ nocte, sed totâ simul die hinc inde per orbis atria volasti, nec lotij tui venenati stillicidia, sed plenos utres demisisti, ut me incautum, non tabe, sed marasmo, & si Diis placuerit, ipsissimâ gangrœnâ, non offenderes, sed necares. Porro prædictus Historicus (*ibid.*) enarrat; *Canes* esse valentissimos, qui non antè morsum dimittant, quàm aqua naribus infundatur. Tu, *Molosse Tackeniæne*, morsu tuo me itaprehendisti, ut non dimitteres antè, quàm vel *Aquam Regis*, in quâ *ingens auræorum* vel stercoreum foetidissimorum summa soluta sit; vel *Pugilum* dictam, vel innocentiae & veritatis aquam, tanquam *Errhinum*, naribus & gutturi tuo malè olenti ingererem, seu sordium tuarum abstergendarum gratiâ, seu ut cerebrum tuum, tanquam hydrocephalo & amentia cor-reptum, eâ fluctuans redderetur & excuteretur stultitia. Eò enim dementiae & audaciae nunc ivisti, ô rabiosissime & impudentissime mortalium, ut è longinquis oris, dum in viciniâ

aut

aut è Germanâ loci cujusvis pristini regiâ id ausurus eras
 nunquam, in nomen & famam meam ita grassareris. In-
 ter Viperarum nempe Italicarum capturam & torturam ita
 consuevisti agere mei honoris Carnificem. Eccum verò
 Exterum itidem ejusdem Iudicem longè benigniorem, quem
 è Brabandis tibi in faciem hîc sistere cogor. Est is eruditis-
 simus ille Canonicus, Dominus B. B. Eminentissimo Car-
 dinali Friderico, Hassiæ Landgravio, hodie ab officiis sacris,
 cum quo consuetudinem primùm inire cepi, dum in lauda-
 ti modò Principis, Antiqui mei Heri, curâ Spadæ, Leodij &
 Bruxellis non ita admodùm nuper occuparer. Audi & le-
 ge, si placet, fragmentum hoc sequens, quod ex prædicti Do-
 mini Canonici Oratione nuptiali, Bruxellis Hamburgum ad
 me secundùm Sponsum missâ, typisque publicis excusâ, in tui
 gratiam verbotenus excerpere, atque exteræ tuæ calumniæ
 exteram hanc laudem opponere volui. Titulus & res ita
 habent.

Lit. Ffff.) Oratio congratulatoria

*Nobili Magnifico & Excellentissimo Dn HEL-
 VICO DIETERICO, Archiatro Electorali Brandebur-
 gico; & Selectissimæ ac pudicissimæ Virgini JLSABÆ SYLMIÆ
 Sponsis, Anno M DC XLIX. d. V.
 Novemb.*

B. B. C. C. missa BRUXELLIS.

Fragmentum Epistolæ dedicatoriæ.

*Amplissimo & Prudentissimo Domino, Dn. HENONI
 SYLMIO, DUODECIM-VIRO Hamburgensi, Amico
 meo pl. honorando.*

HÆC ORATIO, Vir Prudentissime, ob amorem tui Generi Spadana-
 nas apud Acidulas in Aulâ Serenissimi Friderici Landgraviij
 Hassiæ Darmstadiensis familiaritate mutuâ inter continuas apud
 Grudios Bellonæ machinas, conciliatum, à tanto terrarum divortio fa-
 ciem tuam anhelat; non quia optima & Prudentiæ Tuæ conformis;
 sed quia tua eadem, quæ sponsa ejus, filia est, & quia tuus idem, qui
 Sponsus, gener est. — Paulò post: Amabis autem impensius, quòd
 utriusq; nuptias ob honorem Excellentissimi Generi, & Reges & Ele-
 ctiores & Principes & Magnates & Literariæ rei propè cuncta Numi-
 na videas condecorare. Vale. Bruxellis d. Michael. S. M DC IL.

Fragmentum Orationis prædictæ.

ATqui Neonupti, præsertim Tu ILSABE, non parum habes, quòd
 hæc ex parte non à Teipsâ tantùm & Prudentissimo Parente,
 sed HELVICO Tuo etiam Tibi congratuleris. De quo enim
 Sponso loquimur? Deus bone! Numen aliquod diceremus, si totam
 vitæ periodum consideremus. Natus in Hassiâ Darmstadiensi, &
 humanioribus studiis incumbens mox Gise sub Scheiblero, Steubero
 & magno illo Christophoro Helvico; Ulmæ, sub Patruo Conrado
 Dieterico, Superintendente Sueviæ; Tubingæ sub Blossio, Mæglino &
 Mullero; Altdorphyj sub Hofmanno & Noëslero; VVitenbergæ, sub
 illustrissimo Sennerto; Marpurgi & Gise rursus, sub Jungerman-
 no, & sermone Latino, & Græco & Hebraico instructissimus, & Philo-
 sophiæ, Theoriæ, Matheseos, Theologiæ, Medicinæ, Chymiciæ & Histo-
 riarum peritissimus, Ingenio & Iudicio suapte naturâ præcox, non mo-
 dò longè ætate pares post se reliquit, sed & Seniores etiam plerosque
 vel superavit, vel instruxit.

Inde ad Jubilæum magnum Romam in Italiam festinans, Bo-
 noniæ, febribus correptus, & ibi, & Ferrariæ, & Patavij, Sylvatico, Pre-
 votio, Andergetio, Fonseca, aliisque Medicis præstantissimis, salutatis
 & auditis, tandem ad praxin Germanicam apiscendam, Augustam
 Vindelicorum ad Verbeziûm; Ulmam ad Horstium; Argentoratum,
 ad

ad celeberrimum Küfferum totius suae Practices Magistrum, rediens, Doctoralem lauream, jam dudum antea Altdorphy oblatam, summo applausu omnium adeptus, & à Serenissimo Landgravio Darmstadiño, pro Archiatro in Hassiam revocatus, doctrinam cepit experientiam ornare, experientiam doctrinam consummare.

Quis enim deinde morbus, quae Aula, quis Princeps, vel Elector, qui summam ejus, admirabilem, stupendam, & tantum non divinam artis ejus felicitatem, ipse felix, felicissime non obstupuerit! Heilbronna Ferdinandum tertium, tunc Hungariae Regem, nunc Imperatorem, contra pestem passim per Sveviam & Exercitus grassantem, inaudito hactenus antidoto fortissime munivit. Dresda, Magdalena Sybilla Saxonia Electricis manum; Berolini, Georgij Guilielmi Brandenburgici Electoris pedem; Hafnia, totum Principem Christianum Quintum; & Berolini, rursus Fredericum Guilielmum; veneno, aut desperatis infectionibus affectos, aut desperatis certe affectionibus infectos (ut de privatis sileam) stupente mundo tam mirabiliter curavit, ut si Poëta & idem Ethnicus essem, & sanitatem tantorum Principum inspicerem, dicerem eum Medicum Deorum. — Reliqua vel hinc vel aliunde in hunc sensum allegare, verecundia prohibet. Omissis itaque plurium Encomiis, quibus vel parum vel nihil ego excitor aut delector, longè forsàn graviore & acutiore sono Brabandica hæc audita Lyra superabit malè sana tua deliramenta aut dissona lyrpipippia Italica, quibus verò suppressis rupta sine dubio tibi fuissent illa, cum pulsatis vel miserè potius dilaceratis rusticæ istius tuæ cytharæ fidibus, cum complicibus tripudiando, imò vesanam choream, S. viti illâ longâ rabie ineptiorem, ducendo, tantopere tibi congratulari atque complacere visus sis. Etiam verò atque etiam vide, ne luxurians tuus asinus saltando comminuat crus! Sed desino amentiarum tuarum, quas tibi, ô furibunde, cum rabiosissimâ calumniâ congenerem remitto domum, ut prudenti in pectore tuo mendacissimæ

mæ

ma nigacissimæque istæ sorores tecum cohabitent perpetuum. Et quid his irascar? *Iram* enim (patere mi Tackeni, ut *isdem tuis telis retrò* veris (p.22. *Apolog.*) te reverberem) *cohibere* & ab inutili nec non odiosâ *vita* & *actionum tuarum enarratione* & *descripttione desistere*, melius & gloriosius est, ne in te calumniose, ut tu in me, agere videar. *Viperina in me evomisti*; (evomisti, volebas) Ego verò omnia veritati consentanea scripsi; *Propheta* quoque *consilio obedire*, & tibi *stulto juxta stultitiam tuam respondere volui*, ne sapiens tibi videaris. Vale mendax, Phantasta Phantastarum, cum sale tuo viperino, tuâ pice cristallinâ plumbi mendacissimâ, auro tuo potabili, cujus in fine *Epistolæ tuæ deprecatoriae Timplerianæ* satis frivole meministi, & *Alchaest non-Entibus*. Et scias, me (mihi fortè) tecum & (cum) *Philosophis tuis* non esse certandum; qui picem enim & viperam tuam tangit, *inquinabitur* & inficietur ab eâ. Unicum saltim adhuc addere placet; *Allatrat* & *aslibilat* mihi *Cercopithecus* & *aspis* hic, me falso jactasse *Medicum Serenissimi Electoris Brandenburgensis*.

Malo calumnias ex ipsius verbis Lectorem cognoscere. Et hac stulta tua, inquit, & vana imaginatio te forte commovit, ut nuper *Noribergæ gloriabundus Serenissimi Brandeburgensis Electoris ordinarium Medicum cubicularium* te jactitares, tui similem hoc seculo non esse medicum, nec orbem tibi parem habere *chymicum* falso affirmares, scripserunt ad me, qui presentes audiverunt; sileo alia quàm plurima turgida mendacia, viro gravi & tam docto, qualem te ipsum aestimas, minimè digna, quæ brevitatis gratiâ pretereo. Sed ad tuam ut revertar stolidam jactantiam, nonne te stultum & insulsum caput judicabit quilibet, quod ambitione adeò excacatus te tanti mundi *Monarchæ ordinarium* spargere audeas?

Quid vanius, quæso, candide Lector, cogitari potest? quid magis ineptum & ridiculum? Ne quid amplius dicam. ME *Serenissimæ Celsit. Elect. Brandeb. Archiatrum*
esse

esse loquuntur Ejus literæ vocatorix; bina Ejusdem testimonio-
 na; lireræ Ejusdem ad Sereniss. Remp. Venetam; literæ bi-
 næ ad Eandem Nobilissimi Senatus Hamburgensis? Cassel-
 lanum, Darmstadinum, Hassiaca, & Saxonicum principalia
 testimonia suprâ allegata; omnes Collegiorum Medicor-
 um Epistolæ huic opusculo insertæ. Quid clarius? quid e-
 videntius unquam esse potest? Ne quid summæ calumnian-
 di libidini deeslet, immortalis Dei, cui certè hoc acceptum
 fero, pernissu malus Genius mendaciorum Pater & Prin-
 ceptus, adversarium meum ita occæcavit, ut ea, quæ clarissima
 sunt, & in omnium oculos incurrunt, imò tot summorum
 Principum & Collegiorum Medicorum testimoniis confir-
 mantur, chartis suis illeverit, ut æquus & candidus Lector ex
 his apertissimis, de reliquis, quæ fortè minùs manifesta esse
 videbuntur, judicium ferre possit.

Vanitatis illius & jactantiæ, quòd dixerim, *mei similem
 in hoc seculo non esse medicum, nec orbem mihi parem habere chy-
 micum*, cujus tu quidem me reum agis, mihi non sum con-
 scius. Anilis fabula est, calumniatore etiam indigna. Cui
 enim traducere libido est, oportet eum, nî omni statim fide
 excidere velit, probabilia saltim & verisimilia afferre. Quod
 tu quidem, Tackeni, parùm observas. Ea enim effutire non
 erubescis, quæ ne apud semidoctos quidem fidem ullam me-
 reri possunt. Quis enim tam simplex, tam vecors, tam im-
 pudens sit, ut de se tale quid unquam proferre audeat? Cer-
 tè risum & explosionem audientium metuere necesse habe-
 ret, cuicumque hâc ratione sibi blandiri placeret. Interim
 ambabus manibus tibi concesserim *stolidam jactantiam*, intul-
 sum & stultum caput esse illum, quicumque talia de se jacta-
 re præsumit. Vide Tackeni, ne justam de te, hoc ipso tuleris
 sententiam, & te tuis coloribus graphicè depinxis. Quâ
 insigni enim ambitione & jactantiâ Te supra omnes vete-

res Sapientes & Medicos extuleris, multis audientibus, Tute omnium optimè nosti; nec illi ignorant, quotquot superciliosa tua verba ex alto, si Diis placet, reliquos omnes despicientia ex ore tuo audiverunt. Recordare, quæso, omnium illorum cujuscunque statûs aut conditionis Hominum, quorum Authoritas non potest non magni apud nos esse ponderis, quibus audientibus talia ferè eructare non erubuiti; *Theophrastum* nempe nihil sciuisse in chymia; scripta ejusdem nihil valere; *ibi* (ad extensum indicem Tackenij digitum) jacere illa, & nulli alij rei, quàm (sine præmissâ ullâ veniæ petitione) anistrophis inde conficiendis prodesse; *Lullium* ipsummet debuisse antè discere, quàm alios docuisset, & si hodienum ille viveret, nullo ipsum posse aut debere rubore perfundi, si à Te, Præceptore Tackenio, adhuc instituendus esset; *Gebrum* stultum & Sophistam; *Helmontium* verò omnium optimum esse, veritatig, consentire, quod hic scripserit. Sed, si ita res habet cum *Helmontio*, cur *Ejusdem Alkahest*, monstrante & fidem perhibente tuâ Epistolâ *Alchaesticâ*, tibi est non-Ens? (*Epist. de Alkahest in fin.*) imò cur conficitur ille, tuâ quidem mente, ex *Mercurio vulgi*, qui non est non-Ens, sed Ens reale? De quo adscribam tua verba, quæ habes in principio Epistolæ tuæ de *Alkahest*: *Materia ex quâ*, ais, *quantum Ego pro meâ tenuitate* (miror hîc insolitam tuam submissionem, quæ verò ita te decebat, quoniam cum *Magno Principe* tibi & res & sermo erat!) *judicare possum, est Mercurius vulgi metallicus. Helmont a. occultat id sedulo, nec credo quisquam vulgari modo Philosophantium materiam vel preparationem ex ejus publicatis scriptis erui posse.* Hæc ex autographo tuo, quæ vix stare poterunt cum concluso; *Alchaest esse non-Ens, & tamen ex Mercurio metallico confieri, quæ duo sunt contradictoria, inter quæ nulla apparet veritas.* Porro, si vera sunt, quæ *Helmontius* scriptis suis prodidit, cur in primo statim limine Epistolæ tuæ dubitas, & ignotum tibi est, an

Clas.

Clarissimus Doctissimusq; Vir Joh: Baptista van Helmont Bruxel-
lensis, realiter possedit (sunt verba tua formalia, quæ, si ve-
rus & realis Philosophus & bonus es, qualem te propriâ
tuâ sordente laude in Epistolâ ad me perscriptâ venditas,
negabis nunquam) liquorem Alcahest, cujus per totum ejus
scriptum frequenter commemorat? cur incassum laboravit stu-
diosissimus Helmont, inqvirendo liquorem ex Mercurio, quem
nullus Phylosophorum (sunt iterum verba tua) vel vidit vel
habuit unquam? Cur Franciscus Mercurius, qui edidit post-
huma Patris, nusquam de tot nominato liquore quicquam præ-
loqui volebat, qui tamen à Patre, vero consentanea scri-
bente, dum in vivis erat, satis informabatur? Cur Hel-
montij annulum ad hæmorrhoides, dum non contentus primo
experimento, rediisti ad Equum fixistiqve clavum, ut plus vi-
tali partis attingeret, in suspicionem trahis, ejusqve speratam
virtutem simul cum equo (ita Autographum tuum, quod ne-
gare non potes, habet) claudicare notas? Cur ex Emplastris
Helmontiani ad Quartanam commendati appositione, multi-
pliciq; ejus repetitione fructum nullum percepisti, si Helmonti-
us inter omnes Philosophos, verissima quæ sunt, scripsit?
Quis talibus partim ex ore tuo auditis, partim ex Epi-
stolâ tuâ de Alchaest lectis & perspectis, non obstupe-
sceret, aut insignem tuam prudentiam atque scientiam,
Rhetoricâ tamen arte, quod in principio Epistolæ tuæ do-
les, destitutam, non admiraretur, præ cujus eximiâ arro-
gantiâ humilis & despecta mea Ignorantia (de quâ tu in
literis tuis, supercilioso & contumelioso satis calamo ad
me scriptis, ita: Tu es ignorans (cur non ignorax?) Ego verò
sum verus ac realis Phylosophus (cur non Pfuylosophus, quia
Phi per y scripsisti? aut Viloxenfus?) in muscipulam aut
murium aliquod conclave non angustum sed angustum
se recipere cogetur? Sed nullis antiquis Philosophis, nec

recentioribus & adhuc viventibus parcis; ex quorum millē,
ne in infinitum excreseat oratio, unicum hoc adducere lu-
bet. Lege, quæso, quæ D. D. Martinus VVeisius, Consilia-
rius & Archiater Electoralis Brandenburgicus de Te scribit.

(Lit. Gggg.) Fragmentum Literarum
D. D. VVeisij.

D*Vm literas tuas ultimas, Amicissime, amoris & bene-
volentia plenissimas accipio, annum vertentem denuo
auspicari sumus; Faxit DEVS, ut tibi tuisq; hic pluresq;
alii sint felices & ex voto fluentes. De calumniis, quibus
à Tackenio obrutus es, doleo. Impudentissimum eum ho-
minem esse judico, quiq; obtreccionibus, mendaciis, dolisq;
famam sibi acquirere studet. Atrocissimis etiam me calu-
mniis oneravit in literis, ad Aulam Schöningsensem præter-
ito vere missis, nullam aliam ob causam, quam quod Me-
lancholiam Maniacam, quâ etiamnum laborat Serenissima
Vidua, ex consolidatione ulceris inveterati, ultra XX. annos
aperti & fluentis, inter alia ortum habere credam. Stupi-
dissimos illos vocat (Tackenius) & crasse ignorantia
mancipia, quiq; res naturales minimè intelligunt, quotquot
arbitrantur & falso statuunt hoc malum ex cruris consoli-
datione ortum esse. Item impiè satis: Ego dico; quam
verum credo, Deum esse justam Deum; tam verum quo-
que est, præsens malum ex consolidatione ulceris originem
non habere. Vide impudentiam & impietatem! Ita pro-
testa-*

testatur & obtestatur scurriliter; cum tamen in consoli-
dando cruce aut parum, aut nihil præstiterit. Nihilominus
sibi arrogat; & quia ab se factum putat, defendit. &c. Dab.
Berolini d. XLIX. Ianuar. M DC LIII.

T. Totus

D. Martinus Weise.

(Inscriptio) *Viro Nobili Excellentissimo, Dn. Helvico Die-
terico U. Med. Doctori, Consiliario & Archiatro Electorati Brande-
burgico, Collegæ & Amico suo veteri.*

Hamburgum.

Verum quum me defendam; Te verò impugnare non
placeat, pluribus de his agere nolo. Ex his, bone Le-
ctor, quoniam spero, certoque scio, summam meam
Innocentiam & putidissima Adversarij mei mendacia, vel
me non monente, Te facile esse perspecturum; Te, qui ho-
minis naturam non exuisti, & cujus pectori immortalis il-
la regula Dei digito inscripta est, *quod Tibi non vis fieri, alteri
ne feceris*, interrogatum volo, quid Tu in ejusmodi casu,
quando atrocissimis ejusmodi calumniis onerareris (quas ta-
men Deus clementer à Te avertat) esses facturus? Num ta-
citurus, tibi tuæque familiæ tacendo æternam maculam in-
iusturus? Non faceres, scio. Quid si responderes, quâ rati-
one crimina tibi impacta esses depulturus? Num NEGAN-
DO eousque, donec tibi ab adversario PROBARENTUR? Ex-
pedita est hæc via, licita & omni juri consentanea.

Verum Lectorem nihilominus suspensum & ancipi-
tem tenet, ut quam in partem inclinet, ferè nesciat. No-
tum tamen tritum illud est; *multis mendaciis credi veri ali-*

Lt 3

quid

quid subesse; calumniandum esse audacter, semper aliquid harere.
 Quapropter inverso juris ordine & onere, ad quod adver-
 sarius meus se diffamando tacite obligavit, in me translato
 Negativam probare ausus sum. Ut non immerito jam qua-
 rere possim ex Lectore, num aliâ ratione, quæ quidem in
 hominis viribus sita est, me ab his calumniis liberare & il-
 lam opinionem, quæ fortè nonnullotum, qui me vel non
 norunt, vel mihi non adeo benè volunt, animis infedit, per
 famosum illum libellum, eximere potuissem? Adversarius
 meus me *falsarium* esse dicit; Ego vidimationes, ut loqui-
 mur, Notariorum juratorum, Serenissimi Electoris Brandeb.
 Serenissimi Principis Regentis Holsatiæ & Nobilissimi Senatus
 Hamburgensis Secretariorum intimorum & Protonotarij reco-
 gnitiones produxi, quibus contrarium asseritur, scilicet me Epi-
 stolam illam non falsasse, nullum verbum neque addidisse,
 neque dempsisse, neque transmutasse aut inflexisse. Cui jam
 fides habenda? Tackentionè potius, quàm omnibus illis,
 quos jam dixi? *Furem* me esse ait, & Serenissimo Electori
 Brandenburgensi, cui aurum potabile conficere jussus es-
 sem, ingentem aureorum summam abstulisse. Negant id
 uno ore (1) Meus laborator. (2) Omnes Consiliarij œcono-
 mici. (3) Medici Electorales Brandeb. (4) Ipse Serenissimus
 Elector, quorum omnium publica produxi testimonia. (5)
 Ipsum adversarium ad hæc crimina probandum in Electorale
 Dicasterium citavi: verum lucem ille fugit & judicium. Quo-
 modo, quæso, aliâ viâ, in hæc quidem humanâ vitâ, his cri-
 minibus obviam ire debui? *Circumforaneum* me porrò vo-
 cat, *qui ex unâ aulâ in aliam me contulerim*; cui quidem calu-
 mniæ, omnium Regum, Electorum, Principum & Comi-
 tum vocationes, quibus instantissimè fui evocatus, opposui.
Imperitum Medicum me denique appellat & *Homicidam*; ad
 quod mendacium refellendum iterum Regum, Electorum,
 Prin-

Prin-

Principum & intègrorum Collegiorum Medicorum testi-
 monia de curationibus meis congesi, quæ sanè omni exce-
 ptione sunt majora. Te jam, Humanissime Lector, iterum
 iterumque per Deum immortalem, per jura humanitatis,
 per cognationem illam, quam Natura inter omnes nos ho-
 mines constituit, obnixissimè rogo & obtestor, ut ipse, sepo-
 fitis omnibus affectibus & perturbationibus nil neque mi-
 hi neque adversario des, sed candidè, sincerè & ex bonâ fide
 judices, annon atrocissimis injuriis & putidissimis mendaciis
 satis sit factum, mea verò innocentia evidentissimè orbi o-
 ffensa? Quid verò de ejusmodi homine, qui innocenti ea
 crimina impingit, quæ non nisi morte, imò furcâ & pati-
 bulo expiari solent, si illorum quis convinci possit, sentien-
 dum sit, Tibi, ô bone, cogitandum relinquo. Ego interea,
 quoniam injustissimè patior, ut quilibet ex antedictis vel
 manibus palpabit, si oculis cernere, vel animo intelligere
 non potest, aut non vult, Deum immortalem, severissimum
 omnium delictorum tam occultorum, quàm manifestorum
 vindicem, quâ possum intensissimâ voce ex intimis pectoris
 mei penetralibus expromptâ invoco, inclamo & obtestor,
 meumque adversarium, si in humanis judicijs nulla spes sit
 reliqua, ad horrendum Dei nostri *καρδιογνώστης*, quem nihil
 latet rerum unquam in orbe gestarum, tribunal cito, voco,
 traho, ut ibi atrocissimarum injuriarum, quibus me innocen-
 tissimum in conspectu orbis obruere non erubuit, rationes
 reddat & debitas *ἐνδίκῃ ὀμμάτων* pœnas exolvat: quas ubi in-
 dultu benignissimi patris in hac forte vitâ subire non coge-
 tur, certè in alterâ illâ nunquam effugiet. Ipsum verò suæ
 conscientia furis dilaniandum permitto, trado, mancipio;
 ipsique dico, edico, & quasi sub Juramento hîc assero & af-
 firmo, me præter ea, quæ coactus hîc egi, quandoquidem suf-
 ficientissimè per illa impiè confictis calumniis est responsum,
 & a.

& atrociora mendacia effingere, aut horribiliora convitia evomere non potest, quicquid regeſſerit, dixerit, ſcripſerit, nunquam poſthac vel animum, vel os, vel linguam, vel digi- tum, vel calamus moturum. Turpe mihi ſit, vel chartâ vel aureo tempore adeò abuti velle, ut vel literulâ, nedum verbulo, ipſum reſponſionis loco ſim dignaturus. Gracu- lus cum graculo, aſpis cum viperâ, picus cum hirundine por- rò crocitet, ſibilet, trinet, quid velint poſſint. Mihi ſemper futuro abhinc ſurdo narrabitur fabula. Bonis ſi placuero, ſat laudis mihi duxero. Imò & Malis diſplicere, laudari eſt, & laudari à malis, vituperari eſt. Nihilominus Epilogi vi- ce ipſi, ſi ita vult, neque omnem honeſtatem & pietatem e- juravit, meliorem mentem ex animo precor, conceptis ver- bis obnixiſſimè optans, ut in ultimâ hac mundi fæce, ubi Patri mendaciorum Diabolo frœna laxata videntur, ultimus ego ſim, qui tam atrociter, tam horrendè calumniis & men- daciis oneretur. Ita fiat.

Sed ne Lectori beneyolo ſcrupulus fortè aliquis de Li- teris, Teſtimoniis aut Documentis, huic meæ APOLOGIAE in- fertis, ſuboriri aut moveri poſſit, en ſuperpondij loco Vidima- tionem ſic dictam, labe omni carentem, ſuperaddere volui.

VIDIMATIO

Literarum & Inſtrumentorum in hoc opusculo contentorum.

PRæſentes Literarum, Inſtrumentorum & Fragmento- rum, in opusculo hoc comprehenſorum, Copiæ omnes ac ſingulæ concordant cum Sigillatis atque ſubſcriptis ſuis Originalibus, factâ diligenti collatione verbotenus; Quod Ego infra nominatus Notarius Cæſareus Juratus & Ci- vis Hamburgeniſis, propriâ hâc manus meæ ſubſcriptione, ſigni-

signique mei Notariatûs & Sigilli consueti appositione, in
fidem attestor, ratione officij decenter ad hoc rogatus & re-
quisitus. Actum Hamburgi, die IX. Mart. Anno M DC LV.

(L.S.
Notar.)

Albertus Soetie Notar. Publ.
in fidem concordantiæ man.
propr. (L.S. propr.)

Sed, quod caput totius hujus negotij
tandem esse debebat, superesse hic visum fuit id, quo
carere non potui; quid denique illud sit, sequens
te edocebit

RETORSIO.

ITa, Lector, innocentiam meam demonstrare, fa-
mamque nominis mei tueri coactus sum. Quam-
vis enim crimina, quæ mihi à nequissimo mortali-
um impacta sunt, ab impurissimo calumniatore fu-
issent probanda, Ego tamen, ne ulla eorum in cu-
jusquam animo remaneret suspicio, bonitate cau-
sæ & conscientiæ integritate fretus, ordine inver-
so, onus illud in me devolvi, & productis Magna-
tum, Electorum, Principum, Academiæ, Facul-
tatum, & Magnorum Virorum testimoniis, omni ex-
ceptione majoribus, Diabolica mendacia masculè
prostravi. Et sic Tibi fortè, Lector, satisfactum;
mihi verò nequaquam. Non enim sufficit ostendisse,
me innocentem esse & immunem ab atrocissimis il-

M m

lis

lis sceleribus, quorum nequam me infimulat; sed præterea adversus scelus hominis me defendere fas est, omni modo, quo adversus ejusmodi monstrum, quod nullis legibus tenetur, nullâ religione alligatur, nullâ Civilis potestatis auctoritate movetur, unquam licet. Quum verò Deus Ter Opt. Max. in primæva mortalium creatione hoc jus indulserit, *ut vim vi repellere liceat*; idque non tantum in Rep. sua Judaicâ legibus disertè sanxerit; sed præterea animis etiam gentilium inseverit; quodque omnes Legum latores summè jus fasque crediderint; Et verò ea vis, quæ famæ, honori, existimationi nostræ infertur, omnium maxima sit, certè neque ipse Deus Ter Opt. Maximus, neque ulla Majestas Civilis, neque quisquam mortalium jus illud, quod omnibus datum est, mihi abjudicabit, denegabit, eripiet. Quoniam verò spes judicij, ad quod Carnificem citari feceram, omnis decollat, adeoque nulla via, quâ vim illatam repellere queam, reliqua, nisi talionis aut Retorsionis Ius, quod omnes gentes cultiores religiosè coluerunt, hinc Iustitiæ Sacerdotes, Viri prudentissimi pariter & integerrimi, Juris Antecessores Helmstadiensis, Colonien-sis, & Ingolstadiensis adversus meum Calumniatorem uti unanimi voce suaserunt. De quorum sa-
pi-

pientissimorum Virorum consilio & auctoritate illud licitissimum remedium adhibere ejusque beneficio omnes calumnias, diffamationes, mendacia, quæ Diabolicis suis buccis nequissimus mortalium evomuit, in ejusdem nefandas fauces refundere, & sic huic causæ, toto orbe audiente & quasi ad judicandum sedente, finem imponere constitui. Ego itaque **HELVICUS DIETERICUS** Med. Doct. Serenissimi Electoris Brandeb. Archiater, omnes istas calumnias, diffamationes, mendacia, quæ Tu, **OTTO TACKENI**, Mendaciorum pater, Orbis impostor, in me innocentissimum scelestissimo mendacissimoque tuo ore eructasti, & nefando tuo calamo scripsisti, in detestabiles & diabolicas tuas fauces, eo modo, quo vomuisti, remitto, refundo, & ut de jure quàm optimè & firmissimè fieri potest, retorqueo; Teque, impurissime Sycophanta, Pseudochymicum, Falsarium, Nequam, Furem, patibuli Candidatum, corvorum escam, Homicidam, Orbis impostorem, coram toto orbe terrarum, habeo, voco, proclamo, & voce, quâ possum, altissimâ, ex imo pectore ductâ, vocabo, proclamaboque tam diu, donec vel minimum eorum, quorum me diabolicâ malitiâ insimulasti, probaveris. Deum Ter Opt. Max. severissimū scelerum ultorē, vindicem summæ

Mm 2

meæ

meæ innocentia imploro, & ad ejus tremendum tribunal, quod Atheus quidẽ spernit & ridet, cito, voco, deposco; totumq; terrarum orbem judicem flagito, omnesq; Majestates civiles, Vicarias in his terris immortalis Dei, supplex obtestor, ut hanc Diabolicam progeniem, ex mendaciis confutam, terris suis eliminent, ne impurissimo monstro inquinentur. Te verò, Tackeni, Princeps omnium nequam, Sycophantarum, Carnificum, furiis conscientia tua, si quam habes, cruciandum devoveo, quæ Te, tortorum instar domesticorum, eousque crucient, excarnificent, donec diabolicam malitiam agnoscas & maturius ad sanam mentem redeas, ne æternum pereas.

ET Coronidis loco expectant adhuc insulsi, rancidi, maledici & insani nonnulli Poëtaſtri Corollam ex helleboro & brassicâ contextam, quam vel ideò meruerunt, quoniam illi cantu rem suam absolverunt, & *rancidulum quidam balbâ de nare loquuti* sunt. Si Deas Musas Poëtarum more ad se advocassent, à Parnassiis forsan aulis non ita declinassent ad caulas, ibique cum asinis rudere aut cum juvenis boare maluissent, aut *raucum de nare caninâ turrior illorum sonuisset litera carmen*. Sed bene habet. Tales nempe hîc Orphei, Tarentini potiùs Evangelii (Κακάγγελοι Κακύνιοι *Cacatores*) aut Nemessi, Pittaci alicujus Tyranni, aut superbissimi nostri Psittaci, quasi delirantis Orphei Simiæ Filiive, cum ineptissimis suis lyris in theatrum hoc introducendi erant,

rant, qui *Arma virumque*, tantopere de me, sed sine triumphali arcu, triumphantem, *canerent*! Et quidni piceas plumbeasque suas faculas cytharasque, nec auro, nec crytallo, nec coralliis, nec eburneis dentibus, nec annulis, nec gemmis, nec smaragdinis auri fructibus nec aureis ejusdem foliis splendentes, in Pythiis præferrent isti suo victori, Triumphatori, vecto Elephantis non Indicis, sed Arcadicis; non turritis, sed bene auritis; & qui vocem cum edunt, solâ voce Cyri & Alexandri equitatum vel è mediâ exturbârunt Scythiâ, vel inter bestiarum ferarumque certamina emissi solo ruditu prægrandes urfos eò angustiae adegerint, ut fugâ sibi consulti summa arborum peterent, quod non ita nuper evenisse vidimus, inter ludicra venationum aulicarum oblectamenta. Ecquis Buccinatoribus tantis vitio vertet, si novo isti Pyrgopolinice in Campis Cuticulindoriis, ubi Bombomachides, Cluninstatides, Archides, regit Imperator summus Neptuni nepos, triumphum immortalem ducenti, non laurum, sed larvam, *ἐνοπρόδοις* sive carduis asininis ornatam, obtulerunt, & dum auratum auritumque Regem elato circumvectarent folio, piceis, resinosis, sulphureis, bituminosis asaque foetidâ undique circumlitis accensis facibus non nisi aërem verberarunt? Condonarem illis vesaniam, nisi simul illo facto cum Atheniensibus meras in me Gerras Germanas protulissent, eoque ipso stultitiâ atque maledicentiâ suâ cœlum nubesque petissent, & furoris proprii & honoris alieni proditores. Quod dum fecere versu, ex eo non possum non rari in admirationem & cum Poëta simul exclamare: *Aut insaniunt isti Homines, aut versus faciunt!* Habeant ergo sibi coronidis vice coronam initiò promissam, sequentibus hisce oblatam mantissis.

MAN.

MANTISSÆ

In nebulosos Terræ filios, ex quercubus
& saxis natos, Cumanorum primos, qui projectissimâ
audaciâ Calumniatori Caco Cacenio versus
adcaçarunt,

I,

In l. VV. P. Venetum.

Qui dudum læsit, porrò dum lædere nescit,
Latratu victus jam satis ipse suo:
Parcere nunc fertur; veluti dum morbida cessit
Baubantis letho vis rabiesque canis.
Crede mihi, virtus non est, tum velle tacere,
Gutturè cùm rabido vox mala fusa tuo est,

II,

In Asinum cum puncto Norimbergæ.

Carpit uti doctam Philomelam deses Asellus,
Sic tu crystallos Luride Aselle Meos. L. A. M.
Ter carpis, cuculum laudas ô plumbee Aselle L. A. M. D.
Lucl, Asini Merdam Decoque pròinde tibi. *Vid. Luc. Apulei. Asin.

In eundem, cujus nominis literas majusculas L. A. M. D.
non nemo festivè, (sit venia sensui;) Lex, Ars, Mulier, Doctor;
ad linguam nostram alludens, exposuit,
quod ita reddo.

Qui pice Saturni me vexas, prospice, pœnam
Ne pice Tartarcâ tu sine pace luas.

Ar-

Armiger ales uti Scarabæia despicit arma,
 Despicio larvas sic Scarabæe tuas.
 Non *Ars*, non *Doctor*, non *Lex* tua crimina finxit,
 Garrula sed *Mulier*, *Blatero*, *Rasor*, *Anus*.

III.

In Apositorem cum uno P.
 N. N. Venetum.

Nonaginta novem me culpent *Pharmacopæi*,
 Unicus aut N. N. dira venena coquit.
 Pharmaca nulla potest nam *Nar Nar* docta parare,
 Scommata sed variis commaculata modis.
 Non credo Temet Venetum, qui talia condis,
 Vipera tu Veneto es scæva cacata solo.

F.

Aleph Beth Gimmel D.

Aliud

Ad Vespertiliones & Noctuas Taque-
 nianas Araneis & Alopecoroide se
 pascentes.

Dum tot Vipereus *Tacquin* convitia falsa
 Evomit & Magnum carpit in arte *Virum*;
 Miror quòd fuerint qui stent pro parte maligni,
 Miror pro stupidi stes quoque parte viri.
 Nam si sal credis, dederit quod vipera fixum,
 Non tibi non illi est candida mica salis.

Lim-

Limpida Saturni sed si crystalla recusas
 DIETRICO, vereor, Plumbeus ipse fies.
 Hunc maneat Crystalla: picem tu sumito nigram
 In labrum, quoties verba maligna vomis.

Cunrad. Theodor. Lüncker D.
 Medicinæ & Eloq. Professor publ.
 Marpurgi.

Aliud Anonymi.

Vipereas fraudes & plenos peste colubros,
 Quæque flagrant Lybico dira venena solo,
 Omnia collegit *Vir improbus*, hic tibi prester,
 Hic seps, hic fuerit dente furente Draco.
 Ille sacros fontes & pocula pura venenat,
 Non monstrum infelix Africa majus habet.
 Ne noceat DITERICE tibi, prævidit Apollo,
 Et stat pro Cadmis mille probata fides.

Ἐξιδνοκονουουοϛ Φαγῆ.

Excoriata jacet foetens hinc *Vipera mundi*;
 Hæc rabiosa fugit *Canis*: hæc lutulenta ruit *Sus*. *Horat.*

Epigramma in Excoctorem salis viperini falsissimum.

Vipera Te genuit. Nudum Te vipera vestit.
 Te falsum Medicum vipera salsa facit.

Vipera Te servat. Totum Te vipera nutrit,
 Dum fert vipereas vipera cocta dapes.
 Vipera Te sanat. Te vipera ditat egenum.
 Vipera Principium, Vipera Finis erit.

Epilogus.

LEctor, si fortè antiquiorum scriptorum Busiridem, plantaginem, raphanum, lysimachiam, bulbos, rapas, brassicam, polium, urticam, Antemidem, chamæleontem, Diabololum aut Casam Cardinalis & alia non vidisti, quæ Dornavius in Amphitheatro suo collegit, cernes hîc non solum recentioris hujus Philosophi Alchaestum, (iisdem characteribus signisque impressum, quibus ille manu ipsiusmet Authoris formatus fuit,) sed & calumniam inde stupendo more quidem progeneratam, verum masculè, nî fallor, à me propulsam, miraberis. A Lectione subsistens, respira parum, tecumque statue, cui parti vel adherere, vel quid aliàs de toto hoc negotio judicare debeas. Ego, quæ aut dextrè aut sinistrè hîc interpretaberis, omnia vel virtuti vel invidiæ tuæ, æquo utrobique animo, accepta referam, admodum in hoc securus, tam procul à vitiis distare hanc, quàm longis spatiis à turpi honestum discriminabitur; Illam verò hanc nancisci Comitem, cum iisdem finibus & sublimitate invidiam terminari, quibus circumscribi virtus ac defini solet, certissimum sit. Crescere ergò invidiam pro virtutis incremento; crescere vicissim ipsam virtutem, invidiâ celsius adsurgente, permittam quamdiu possum & quousque debeo. Ego calumniatori meo helleborum, loco salutis, mihi verò perpetuam invidendi materiam precor: non irascor, sed rideo &

FINIO.

Ita verò finienti, nilque porrò in hâc quidem causâ cogitanti aut expectanti, præter spem aut opinionem, mi

Nn

Le

Lector, offeruntur à viro docto literæ, prelo forsan non indignæ, quas & in tui, si pati possis, & amici, & quod res est, veritatis gratiam superadde: e, iisque agmen hoc claudere placuit. Res ita habet;

HELVICO DIETERICO D.

S. & O. Literas tuas, Vir Ampliss. & Excellentissime, Fautor ac Patrone, summè observantiâ colende, humanitatis, amoris & benivolentiæ erga me tuæ minimè vulgaris plenissimas rectè accepi, utrū verò plus ex illis voluptatis & lætitiæ, an doloris susceperim, equidè haud facile dixerim. — Verùm enim verò utinā in ista tua sic satis graviter affectâ valetudine non aliud in super incommodum Te angeret & sollicitum haberet! Quo carere quidem tibi licuisset, nî virtus planè singularis & rara eruditio tua tantam Tibi peperisset invidiam, concitassetq; adversus Te odium & maledicentiam portentosi cujusdam & insulsissimi Medicastrî, cui virtutem tuam indignissimis insectari modis volupe est, quiq; in Te ferre non potest, cujus ipse est inanissimus. De Otthone Tackenio sermo mihi est, illo Salis viperini venditore ineptissimo, homine rudi, humanitatis experte, superbo, avaro, atheo, & ut verbo dicam, bipedum & quadrupedum nequissimo impurissimoq;. Qui cum in opprobriū & dedecus omnium per Europam Medicorum sempiternum natus sit, nihil majori studio agit, quàm ut famam & existimationem eorum suggillet & imminuat, universamq; medicinam artem illam longè præstantissimam divinissimamq; turpiter ac nefariè corrumpat. Quo quid indignius, iniquius atq; intolerabilius esse possit, non satis apparet. Sceleratissimi hujus conatus sui irritum facturo, Te primum, Vir Amplissime, veræ Medicinæ vindicem & assertorem acerrimum nullo tuò meritò adoriri & impetere visum fuit. At quibus artibus & machinis? Profectò planè satanicis & homine Christiano indignis. Calumnia diaboli proles est, cui egregiè obstetricatur Tackenius, dum Te virum spectatæ virtutis & integritatis atrocissimis calumniis & falsissimis criminationibus onerat, nequiter de Te confictis & passim in vulgus sparsis tot mendaciis turpissimis,

non

non nisi à maligno & mendace spiritu provenientius, quo scelus illud hominis duci ac agitari facile fidem mihi faciunt, cum dira ejus calumnia, tum illorum digna fide relatio, qui mihi tortuosum ejus & multiplex ingenium, mores improbos, impuros & sceleratos, malarumq; artium studium vivis quasi depinxere coloribus. Non igitur mirum est, eum mentiri, calumniari, maledicere, criminari. His n. artibus Veterator ille magnus, veritatis hostis sempiternus, ministros suos instruit, & adversus pios & probos in aciem producit, qui tamen cerbereos eorum ictus eò excipiunt animosius feruntq; patientius, quò magis recti sibi vitæ innocentis sunt conscij. Rident illi mendacia magnò animo calumnias contemnunt perferuntq;. Quo quidem modo Te quoq; acerbissimas injurias & falsas, quibus Te os impudens & effrene gravat, accusationes ferre, gravitas & constantia tua minimè me sinunt dubitare. Quamquam n. non possint non movere Te & concutere, labefactare tamen haudquaquam possunt Sipientia præsidis munitum atq; firmatum. Culex stridens somnos rumpit leoni, & mus abjectissimum animalculum ei. ndem expergeficit. Quidni igitur hominem probum spurcissimi nebulonis convitia & obtreccationes commoveant, modò cogitet, imperatam sibi esse à Sipientiâ moderationem, & ita ferendas esse injurias, ne quid se indignum & indecorum committat. Non parum quoq; ad injurias æquo animo tolerandas facit, si is, qui alterum iis afficit, sit homo flagitiosus, & manifestè mendaciloquus. Talem a. esse Tackenum confirmant illi, qui vitam & mores ejus intus & in cute norunt. Audio illum hæere Venetiis, ibiq; Medicinam facere, ad quod non magis mihi aptus esse videtur, quàm asinus ad lyram. Non satis queo mirari, quò Illustrissimus Senatus Venetus propudium istud & flagitium hominis in sua ferre possit Republicâ, insigni profecto Urbis suæ dedecus. Quod n. in domo aliquâ magnificâ & undiquaq; auro & argento nitente fætidum est sterquilinum: id in illustri & splendidâ Venetorum Urbe impurissimus est Tackenius. Sed & mirari subit, quomodo Amplissimus, qui ibi est Medicorum ordo, Viri procul omni dubio summi, ferre possint turpissimum ar-

eis sua, quam primùm scētatus est, desertorem, indoctissimum vera Me-
 dicina perversorem, nobilissimi Medicorum ordinis opprobrium, im-
 postorem, erronem, Salis viperini mundinatore & Doctorem circum-
 foraneum vanissimum, orco potius, quàm honorum commercio dignū.
 Talis n. est tuus, Vir optime, calumniator, Tibi tam dira tamq̃ falsa in-
 tentans crimina, qui utrum justam indignationem & iram, an v. mi-
 sericordiam potius tuam mereatur, dubitavero. Atq̃ utinam Tibi cum
 scelesto capite secundum leges & jura agere, judiciq̃ Te defendere li-
 ceret, facillimum Tibi tum foret ab ejus calumniis & falsis accusatio-
 nibus Te liberare! Sed praclusa Tibi est juris via, postquam rupes iste
 trans maria volavit, sibiq̃ in ea Urbe nidum struxit, unde eum ad
 dicendam causam & pœnam subeundam retrahere vix licebit. Quid
 igitur agendum? Consulant in hoc alij. Noli Tu gravius angere animo,
 & Te ipsum nimiam sollicitudine conficere. Parce Tibi tuisq̃ & latere
 potius, virtutem tuam osores & calumniatores invenisse, quorum in-
 jurias Tibi illatas DEUS severè vindicabit. Neq̃ n. putandum est, ala-
 stora illum has criminationes impune laturum. Si vel maxime apud
 civilem Magistratum earum impunitatem consequatur, est tamen,
 qui causam tuam aget, & à nefario homine pœnas sumet, is nimirum,
 qui dixit, mea est ultio, & ego retribuam eis. Huic igitur rem omnem
 committe, animumq̃ tuum ab omni immodica curâ vindica. Neq̃ v.
 est quod fama & existimationi tuae metuas; non imminuetur illa, mi-
 bi crede, nequissimi & nauci hominis calumniis; sed potius, secus ac il-
 le sibi persuasum habet, amplificabitur. Res Tibi est, non cum Viro mo-
 ribus & doctrinâ eccellente; sed cum homine vilissimo & teterrimo.
 Ab hujusmodi probris affici, laudari est. Laudes a. & injurias ne-
 bulonum in promiscuo habendum. Mendacis illius confutandis suf-
 ficient virtus, innocentia atq̃ integritas tua omnibus, quotquot Te
 noverūt, bonis cognitissima & perspectissima. Regibus, Principibus, Pro-
 ceribus aliisque summis viris penè innumeris notissimus es & earissi-
 mus. Virtus quidem tua inimicos Tibi peperit; sed eadem amicos lon-
 gè plures Tibi quasi vit, qui culpâ & criminibus Te vacare norunt
 omnes,

omnes, tuæq; innocentia ea Tibi tribuerunt testimonia, quamprimum
 in lucem publicam exitura, quibus nihil potest esse illustrius nihil cla-
 rius, nihilq; Tibi honorificentius, & apud posteritatis memoriam glo-
 riosius. Illa hujus humani generis retrimenti calumnias abunde obte-
 rent & contudent, putidissimæq; mendacia, quæ os scelestum adver-
 sus Te evomuit, toti orbi palam facient & ob oculos ponent, atq; no-
 minis tui gloriam multo illustriorem reddent. Quin ipsa hominis
 improbitas suo quasi gladio jugulabitur, & ad extremum ut scopulo
 fluctus ita virtute & innocentia tuâ frangetur. Habes fortasse non
 paucos invidos & malevolos, quibus virtus tua obolet, ut suis ama-
 racinum, his calumniis & injuriis tuis mirum in modum latantes &
 nihil æquè expetentes, quàm ut fama & dignitas tua penitus eis per-
 imatur. Verùm turpiter fallentur isti ἐπιχαιρέατοι & iniquissimi e-
 xistimationis tuæ rososores & ososores. Vipereus quidem homo est tuus ad-
 versarius; sed non nocebit Tibi hæc vipera. Innocentia tua vipereos
 ejus ictus fortiter elidet. Commodè mihi hic succurrit Divi Pauli, gen-
 tium Apostoli memorabile exemplum, qui viperam sibi adhaerentem, in
 ignem excussit, nihil mali ab ea passus. Vipera est, Vir Excellentissime,
 imò quavis viperâ & a pide nocentior nigerrimus tuus iste calumnia-
 tor, famam, quid? ipsam vitâ tuam nefariè appetens: Verùm nihil mi-
 nus quàm ledere eam poterit. Expectant procul dubio invidi & ma-
 levoli tui ignominiam & infamiam tuam, sed frustra. Obteret hunc
 scorpionem illisq; spectantibus & ringentibus conculcabit innocentia
 & virtus tua, invidia & calumnia victrix futura pulcerrima &
 gloriosa. - - V. Dab. Helmestadij d. XXI. Februar. Anno M DC LV.

Nobiliss. & Ampliss. Excell. Tuæ

quoad vixero

Observantissimus

Hieronimus Agathophilus.

Nn 3

Li-

Literarum, Instrumentorum & Fragmentorum, opusculo huic insertorum, Elenchus juxta ordinem Alphabeticum.

- A. Epistola Tackenij ad Ministrum aulicum, quâ publicationem Epistolæ de Alcahest petit.
- B. Epistola de Alcahest ejusdem.
- C. Copia mandati inhibitorij, Friderici Ducis Regentis Slesvici Holsatiæ, ad Nobilem à Moltichen, ob reprimendum Tackenij libellum famosum.
- D. Literæ D. D. Timpleri de vitâ Tackenij.
- E. Depretatoriæ Tackenij ad D. Timplerum.
- F. Tackenij Scheda Schoningæ relicta de usu salis viperini.
- G. Apologia seu Libellus famosus Tackenij.
- H. Facti species ad Collegia Juridica transcripta.
- I. Responsum Facultatis Juridicæ Helmstadiensis.
- K. Responsum Facultatis Jurid. Coloniensis ad Rhenum.
- L. Responsum Juris-Consultorum Ingolstadiensium.
- M. Vidimatio Ledereri.
- N. Vidimatio Gottorpiensis.
- O. Vidimatio Electoralis Brandenburg.
- P. Vidimatio Senatûs Hamburgensis.
- Q. Literæ Archiatrorum Electoralium Brandenburg.
- R. Attestatum Joachimi Schultzij Consiliar. Elect. Brand.
- S. Attestatum Henrici V Vosegini Secretar. Prussic.
- T. Relatio Camerae Prussiacæ ad Elector. Brandeb.
- V. Mandatum Electorale de concedendo Laboratorio.
- X. Concessio Electoris Brandeb. ob mobilia Laboratorij.
- Y.Z. Vocatoriæ Regiæ Christiani IV. extraordinariæ & ordin.
- Aa. Vocatoriæ Christiani V. Electi Daniæ Principis.
- Bb. Vocatoriæ Friderici Ducis Regentis Slesvici Holsatiæ.
- Cc. Dimissio Brandenburgensis.
- Dd. Vocatio nova Frid. V Vilh. Elector. Brandeb.

Ec.

- Ee.** Supplicatio ad Elect. Brand. ob calumnias Tackenia.
Ff. Testimonium Electorale primum.
Gg. Testimonium Innocentiæ Electorale alterum.
Hh. Supplices ad Elect. Brand. ob Citationem impetrandã.
Ii. Mandatum Electorale ad Dicasterium Suprem. Brand.
Kk. Citatio Electoralis ad Rempubl. Venetam.
Ll. Intercessionales primæ Senatûs Hamb. ad Remp. Ven.
Mm. Requisitionis Schedula ad Notarium Venetum.
Nn. Fragmentum Literarum D. Kirstenij de traditâ Citationem prædictâ.
Oo. Senatûs Hamb. Intercessionales alteræ ad Venetos.
Pp. Instrumentum Noricum contra Tackenium testans.
Qq. Rr. Literæ binæ Henrici Engellandi, calumniis Tackeniânis oppositæ.
Ss. Tt. Vv. Vocatoriæ Georgij Hass. Landgrav. cum augmentis Salarij.
Xx. Vocatoriæ Laubacenses & Ortelsburgenses.
Yy. Vocatoriæ Ludovici Comitis Erpac.
Zz. Vocatoriæ Georgij Alberti Comitis Erpac.
Aaa. Literæ Legatorum Brandeburgensium ob Curationem Electoris Brandeb. Georg. V Vilhelmi.
Bbb. Vocatoriæ Electorales Brandeburgicæ pristinae.
Ccc. Vocatoriæ Marchionis Brandeb. Sigismundi.
Ddd. Literæ Christiani V. ad Georg. Hass. Landgr. de vocatione & dimissione meâ.
Eee. Literæ Magdal. Syb. Dan. Princ. ad Soph. Eleon. Hass. L.
Fff. Literæ D. Petri Haberkornij, Theologi Gifensis.
Ggg. Copia Programmatis Doctoralis.
Hhh. Copia Testimonij Doctoralis.
Iii. Vota Professorum Argentiniensium ad honores Doct.
Kkk. Literæ Facultatis Medicæ Helmstädiensis.
Lll. Testimonium Facultatis Medicæ Gifensis.
Mmm. Testimonium Archiatrorum Cassellanorum.

Nnn.

- Nnn. Testimonium Collegij Medici Norici.
- Ooo. Literæ Physicorum Francofurtensium ad Moenum.
- Ppp. Fragmentum literarum D. D. Balthas. Glassij.
- Qqq. Literæ D. Husvedelij Practici Hamburg.
- Rrr. Literæ D. Lünckeri Professor. Med. Marburg.
- Sss. Consolatoriæ Ministerij Ecclesiastici Hamburg.
- * Consolatoriæ D. D. Menonis Hannekenij.
- Ttt. Electoris Brandeb. Defensionales.
- Vvv. Regis Daniæ Defensionales.
- Xxx. Literæ Magdalenaë Sybillæ Princ. Dan.
- Yyy. Ejusdem Testimonium Innocentiæ publicum.
- Zzz. D. Jac. Fabricij literæ de morbo prædictæ Serenissimæ Principis periculosissimo, methodicè per me solum sanato.
- Aaaa. Episcopi Lubecensis literæ de calumniâ ferendâ.
- Bbbb. Testimonium Friderici Ducis Regentis Slesvici Holstatia.
- Cccc. Testimonium Innocentiæ Darr. stadinur publ.
- Dddd. Testimonium Innocentiæ Casse. um p.
- Eeee. Francisci Caroli Ducis Saxon. Testimonium.
- Ffff. Oratio gratulatoria Canonici cujusdam Bruxellensis.
- Gggg. Literæ D. V. Veisij de calumniâ Tackenij.
- ** Literæ D. D. Andreaë Cnöffelii, serò nimis missæ, Præfationi ad Lectorem adnexæ sunt,
- *** Vidimatio Literarum & Instrumentorum, unâ cum Retorsione & Agathophili Epistolâ, huic opusculo subnexa.

ERRATA, si quæ fortè inciderint, benevolus
Lector pro suâ æquitate ipse haud gra-
vatim corriget.

FINIS.

Chem. 257.

